ALEXANDRI
PASCOLI
PERUSINI

IN ALMO URBIS ARCHIGYMNASIO
Medicinæ Professoris Primarii, totiusque Status Ecclesiastici

PROTHOMEDICI GENERALIS

De Homine, sive de Corpore humano vitam habente, ratione tum prosperæ, tum afflictæ valetudinis

LIBRI TRES.

In quibus ad Mentem tam Veterum, tum Recentiorum Theoria, ac Praxis Medica novâ, clarâ, ac brevi methodo exponitur.

TOMUS PRIMUS.



ROMÆ MDCCXXVIII.

Ex Typographiâ Hieronymi Mainardi apud theatrum Capranicense.

SUPERIORUM PERMISSU.

Emo, ac Rmo Principi

ANNIBALI ALBANO

Tituli S. Clementis S. R. E.
Cardinali Camerario,

Ac Romanæ Sapientiæ Protectori Vigilantissimo.

ALEXANDER PASCOLI

P. F.

EX *quo felicis recordationis Clemens XI. Pontifex olim Optimus Maximus, cui liberales Facultates, ac Artes*

ingenuæ plurimùm utique debent, ut Medicinam publicè in hoc Urbis celeberrimo Archigymnasio profiterer, ex Patrio Lyceo *huc me accersivit, Institutiones hasce Medicas, quas adauctas, expolitas, excultas, & pro virium mearum tenuitate perfectas, sub tuis auspiciis,* Eminentissime Princeps, *nunc profero, Medicinæ* Tyronibus *quotannis exponendas, eâ meliori, quæ mihi videbatur, viâ, clarè non minùs, quàm brevì, ni fallor, exposui. At eas, qualescunque aut fuerint, aut sint, si benignè modò respicere non dedignaberis, id mihi pro diutinis laboribus meis summum erit pretium; tuâ quippe gratiâ abundè nobilitatæ, nisi suâ, alienâ saltem luce, splendescent.* Non *eo tibi animo opus istud,* Eminentissime Princeps, *inscribere aggredior, ut aliquid vel minimum splendoris clarissimo* Nomini *tuo comparare confidam; eòque minùs, quòd de singularibus animi, quibus eximiè polles dotibus, ut in hac loquar epistolâ, nec tua sineret modestia, nec ob famam, quæ multò jam ante per* Orbem *eas longè, latè-*
que

que profudit , rationi consonum videretur; verùm ut auctoritas iis, præsidium, & splendor, quem aliunde sperare nequirent, ex tuo clarissimo, quod præseferunt Nomen, referatur. Quum igitur, ut illud tibi dicaverim, Eminentissime Princeps, id solùm me equidem impulerit, non est, quòd in operis commendationem aliud proferam. Si quâ prædictas institutiones arte compegimus, id tute ipse, qui & latini sermonis elegantiam, & intimam cultioris Philosophiæ cognitionem, & rectam dicendi, scribendique in omni literarum genere rationem optimè calles, æquè poteris æstimare. Rerum, quæ ad Medicinam universam exercendam spectare videntur, Fabricam, ut opinor, non planè spernendam extruximus. At, si nihilosecius æquos non ubique æstimatores offendere datum erit, id satis superque erit, ut animo non iniquo tu, Eminentissime Princeps, ut et in cæteris rebus, ita et in hac mihi adsis. Faxit Ter Optimus Maximus, ut diu feliciter vivas. Quoniam, si incolumem te diu in Ter-

ris ſervaveris, & nobis Romanæ Sapientiæ Cultoribus, & univerſæ literarum Reipublicæ, benè ſapienterque, ut ab ineunte ętate cepiſti, diu conſulere proſequeris.

PRÆ-

PRÆFATIO.

LUcubrationes haſce Medicas, quas multò ante jam exaravimus, atque in Archigymnaſio Romano, Medicinam publicè profeſſi, non ſemel expoſuimus, quaſque nuper expolivimus, ac pluribus aliis poſtremò practicis obſervationibus locupletavimus, non tam ut ſaneris, quàm ne immaturè occidaris, tibi, quiſquis unquam futurus eris, qui eas legere velis, ac rebus Medicis imbui non dedignaberis, æquo, lætoque animo impertimur. Dicere pudet, Ornatiſſime Lector. At dicendum utique. Ut & reliquæ liberales Facultates, ita et ipſa Facultas Medica nobis Italis, Romæ præſertim, præ cæteris

Gen-

Gentibus floruit equidem, & nunc ut quum maximè floret. Non est tamen, (nescio an temporum, an improborum, sive imperitorum, qui eam turpiter profitentur, vitio,) quòd, ut & reliquæ liberales Facultates, ita et ipsa Facultas Medica identidem non deturpetur. Hinc non dicam in exteris plagis apud Barbaros tantùm, verùm ubique, pluribus dolis, pluribusque fallaciis, necnon etiam occultis quandoque flagitiis nobilitata, non sine maximo Reipublicæ vulnere, nobis olim variis ex causis imposuit, & adhuc imponit. Enim verò, ut de cæteris sileam, non ne ea nobis olim imposuit, ex Arabibus præcipuè, ad nos tanta jampridem Pharmacorum transvecta multitudo, varietas, & confusio? Non ne nobis adhuc item imponit ea, ex Chymicorum officinis, arcanorum recèns conficta potiùs, quàm deprompta feracitas; quâ, res utplurimùm nullius ferè momenti vocum speciosâ novitate decorantes, facilè credulos passim aucupantur, atque eorum facultates extenuando, se, suasque iniquo fœ-

nore

nore pinguiores facere curant? Nec aliter utique hodie nobis imponunt, qui ab eâ Priscorum innocuâ simplicitate recedentes, plura simplicia, in Medicinâ faciendâ, insimul confundunt, ac talia temerè construunt medicamenta; quibus, & noxam plurimam quamsæpissimè moliuntur, & nostri corporis œconomiam irritant, evertuntque. Ut igitur ab ejusmodi pravâ Clinice, si nos inter unquam extiterit, opportunè cavere, modò literis operam dederit, quisque sibi queat, hæc nisi unicè, saltem præcipuè scripsimus. Et quoniam eos præsertim, quorum ad manus Tractatus hic noster pervenerit, in Medicinæ tyrocinio, veluti candidatos respeximus, de *Homine, sive de Corpore humano vitam habente, ratione tum prosperæ, tum afflictæ valetudinis explorato* agendo, a primo ad extremum Facultatis eosdem erudire curavimus. Et quicquid tum theoricè, tum practicè ad Clinicen hodiernam spectare videbatur, novâ equidem, clarâ, præcisâque methodo, in compendium ideo veluti contra-

ximus

ximus, ut Clinicen brevì addiſcere poſſint. Quod profectò efficiet, ut etiamſi Clinicen ex profeſſo exercere noluerint, Clinicos ſaltem vel imperitos, vel improbos maturè pernoſcant; ne aut inanium verborum fucatâ illecti ſuavitate, aut ſubdolæ calliditatis illecebris capti, ſeſe, ſuamque progeniem peſſimo Clinicorum cuique imprudenter tractandam committant: quò ſibi, ſuiſque in tempore utique proſpicient. Ut autem ad ejuſmodi ſtudium capeſſendum alacriùs incitarentur, doctrinas univerſas, ſcholaſticas licèt, ſtylo nec penitus inculto, nec planè incondito, expoſuimus; omnemque, quæ ſcholas olim pervagabatur, barbariem, ſcriptis noſtris, niſi prorſus excuſſimus, quoad potuimus ſaltem cicuravimus. In animo enim, quæ in Tuſculanis ſcripſit olim Tullius, adhuc nobis verſantur. *Eſt enim quoddam genus eorum, qui ſe Philoſophos appellari volunt, quorum dicuntur eſſe latini ſanè multi libri: quos non contemno equidem, quippe quos nunquam legerim: ſed quia profitentur ipſi*

illi

illi qui eos scribunt, se neque distinctè, neque distributè, neque eleganter, neque ornatè scribere: lectionem sine ullà delectatione negligo (A). *Sed mandare quenquam literis cogitationes suas, qui eas nec disponere, nec illustrare possit, nec delectatione aliquà allicere lectorem, hominis est intemperanter abutentis & otio, & literis.* (B). Auctores proinde, quos scribendo in hoc opere præcipuè nobis imitandos proposuimus, Cornelius Celsus fuerunt, Plinius, & præsertim Historicus, necnon etiam Lucius Junius Moderatus Columella; qui, optimis equidem temporibus, de rebus item nostris, ut neminem fugit, limpidissimè scripserunt. Viros insuper in omni literarum genere versatissimos consuluimus, iisque libenter auscultavimus. Inter quos admodum Reverendum Patrem Ignatium Gvarini Soc. Jesu nostri semper amantissimum, quo cum ab ineunte ætate maxima semper nobis fuit consuetudo, quem et plurimi semper fecimus, colui-

mus

(A) *Quæst. Tusc. lib.* 1.
(B) *Quæst. Tusc. lib.* 1.

mus ſemper, & peramavimus; necnon etiam Ornatiſſimum Virum Petrum Aſſàlti, tum inter Archigymnaſii Romani Profeſſòres, tum inter Archiatros Urbis Collegam noſtrum celeberrimum, præ cæteris ſèlegimus; quibus et ex decreto Reverendiſſimi Patris Magiſtri Sac. Pal. Apoſt. literarios labores hoſce noſtros explorandos tradidimus; &, ut limam in iis ad unguem intenderent, facultatem fecimus. At ſi quid barbari nihiloſecius exciderit, id non modò longævæ ex Cathedrâ dicendi, exponendique, conſuetudini, ubi ex tempore utplurimùm dicere oportebat; verùm et neceſſitati, quâ recèns, temporibus videlicet noſtris, aut excogitata, aut inventa exprimere debuimus, tribuendum. Et latinè licèt ſcribere ſedulò ſtuduimus, ad ambiguitates tamen evitandas, item et brevitatis gratiâ, vocibus nonnullis, tametſi barbaris, quæ in Facultate Medicâ uſu invaluerunt, et nos, parciſſimè quamvis, uſi ſumus: ejuſmodi ſunt *aqua* ex. gr. *chalybeata*, *ſerum chalybeatum*, hiſque ſimilia, ubi præſcriben-

dùm

dum fuit aliquid per extinctionem chalybis, aut ferri candentis paratum: *jusculum alteratum* pro jusculo medicato &c. Diximus præterea *salia*, non sales, tum quum non de dictis lepidis, acribusque, sive sapientibus *metonymicè*, verùm de *sale*, sive naturà in fodinis *concreto*, aut arte ex mixtis naturalibus *elicito*, propriè loquutis, id discriminis cum Chymicorum plerisque designare placuit. Singulas tum Veterum, tum Recentiorum, quibus præcipuè Medicorum innititur ratiocinium, hypotheses declaravimus, easque insimul in concordiam, admodum licèt discordes, primo intuitu, viderentur, pro viribus composuimus, & quasi consociavimus. Humani corporis vitam habentis historiam, ejusque partium longè profusiorem, quàm superioribus annis pro Philosophiæ Tyronibus vernaculo sermone fecimus, anatomen exposuimus. At enim verò, earum componentia designantes, quæstiones dubias, quæ in minimis præsertim rebus, inter Sectores hodiernos acriter insurrexerunt,

eoquòd nec Philoſophiæ, nec Medicinæ utiles adhuc fuiſſe videantur, ne Legentium mentem inutiliter modò maceremus, ex conſilio omiſimus. Temporis proceſſu, quum lux iis major acceſſerit, perquàm utiles fore ſperamus; & tum cuique, qui *Hominem hunc noſtrum* optimè calluerit, quæ nobis hactenus ambigua fuerunt, ſibi dilucidare, aliiſque declarare non erit difficile. Quicquid & in Noſocomiis, & in Procerum ædibus potiſſimúm, quibus, ratione valetudinis, penè ſemper præfuimus, Clinicen exercentes, non improſperè ceſſiſſe quotidie obſervavimus, per hiſtorias peculiares concisè, & ex ordine digeſſimus; quibus, præter ægrotantium nomina, & nonnullas alias interdum circumſtantias, quæ alienas deliteſcentes, animi non minùs, quàm corporis imbecillitates prodere, ac palam evulgare potuiſſent, nihil immutavimus. Si quid interim grati libris hiſce poſterioribus noſtris, Lector Humaniſſime, tibi unquam fecimus, id nobis equidem abundè erit; qui, ut & diu vivas, & optimè valeas, unicè exoptamus.

IN-

INDEX CAPITUM

LIBER PRIMUS

Sectio Prima.

Sectio Secunda.

CAP. V. De

INDEX

INDEX HISTORIARUM.

FINIS.

AP-

APPROBATIONES.

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apost. Magistro.

N. Baccarius Episc. Bojanen. Vicesg.

Opus, quod inscribitur, *Alexandri Pascoli de homine, seu de humano corpore vitam habente*, legi diligenter, ut Reverendissimi Patris Magistri Sacri Palatii Apostolici obtemperarem. Nihil in eo, quod vel Religioni, vel bonis moribus adversaretur, offendi. Authoris vero ingenium, & industriam vehementer sum admiratus, qui tam multa, tam varia, tamque utilia, tam breviter, tam dilucidé, tam eleganter complexus sit. Quare, cum opus hujusmodi & Medicæ Facultati non parùm lucis, & iis, qui eandem profiteri voluerint, multùm afferre possit commodi, censeo publicâ luce donandum. Ex Collegio Romano. 27. Januarii 1728.

Ignatius Guarini Societatis Jesu.

Sectio Secunda.

INDEX

APPROBATIONES.

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apost. Magistro.

N. Baccarius Episc. Bojanen. Vicesg.

OPus, quod inscribitur, *Alexandri Pascoli de homine, seu de humano corpore vitam habente*, legi diligenter, ut Reverendissimi Patris Magistri Sacri Palatii Apostolici obtemperarem. Nihil in eo, quod vel Religioni, vel bonis moribus adversaretur, offendi. Authoris vero ingenium, & industriam vehementer sum admiratus, qui tam multa, tam varia, tamque utilia, tam breviter, tam dilucidè, tam eleganter complexus sit. Quare, cum opus hujusmodi & Medicæ Facultati non parùm lucis, & iis, qui eandem profiteri voluerint, multùm afferre possit commodi, censeo publicâ luce donandum. Ex Collegio Romano. 27. Januarii 1728.

Ignatius Guarini Societatis Jesu.

Li-

LIbrum Alexandri Pascoli, quo Medicinæ institutiones traduntur, Reverendissimi Patris S. Palatii Apostolici Magistri jussu sedulò expensum, non modò bonis moribus, atque catholicâ fide minimè abhorrentem, atque alienum censeo, verùm magno publico bono vulgandum: Eo enim Celeberrimus Auctor universam rerum medicarum scientiam paucis, sed perspicuè complexus, nobilissimam Facultatem plurimum illustravit, auxit, erexit, acri judicio, ac longo medendi usu, certa ab incertis sejungens, vera sapienter confirmans, falsa ingenuè repudians. Quamobrem pluribus nominibus laudandus, sed eo maximè, quòd artis Tyronibus consuluit; quibus brevem, atque expeditam ad Medicinam viam ostendit.

Petrus Assaltus.

IMPRIMATUR.

Frater Gregorius Selleri Ordinis Prædicatorum
Sacri Palatii Apostolici Magister.

LIBER PRIMUS

De iis, quæ tum secundùm, tum præter-naturam, ratione præsertim cordis, & sanguinis, exoriuntur, atque exoriri possunt in corpore humano vitam habente.

SECTIO I.

De corpore humano vitam habente in genere, ac præcipuè de cordis structurâ, motu, & facultatibus; necnon etiam de motu sanguinis circulari, ejusque constitutione.

CAPUT I.

Definitur Medicina, & in suas dividitur partes præcipuas.

Definitur Medicina.

Medicina est cognitio quædam rationalis, quæ circa humani corporis vitam habentis affectiones, tum naturales, tum præternaturales, & circa varia earum præsidia versatur: quam per varias conjecturas, partim speculando, partim experiundo, qui eam profiteri aggreditur, processu temporis sibi comparat, ut in homine sanitatem præsentem conservare, amissamque restaurare opportunè queat. Cognitio hæc, quæ, aut

prosperam, aut hominis adversam valetudinem respicere quodammodo semper debet in rebus plerisque medicis, neque certa, neque evidens quanvis sit, si ratiocinium tamen, æquè ac observationem ad eam probè acquirendam sedulò, solerterque pro viribus intendamus, admodum probabilis, perquam utilis, ac penè dicam, necessaria evadit; tum quum maximè facultatem equidem præstantissimam, haud vili, sordidoque quæstu illecti, sed candidè, liberaliter, ac ingenuè, procul ab omni dolo, ab omni versutiâ, ab omni calliditate, atque jactantiâ, procul ab omni fuco, ab omni circulatoriâ ostentatione, ac inanium verborum, nugarumque lenocinio, atque in Reipublicæ commodum, aliorumque potiùs, quàm nostrorum utilitatem, ut homines liberos decet, profiteri, atque exercere velimus.

Quid sint Medicinæ subjectum, medium, & finis.

Ex hac Medicinæ definitione, Medicinæ subjectum patet, *hominem* esse, quatenus dum vivit, & sanus, & morbis affectus esse possit. *Hominem* dicimus; quum in universis ferè affectionibus, quibus in Terris frequentissimè vexamur, unà cum corpore organico defecturo, animus quoque, materiæ expers, haud quaquam defecturus, afficiatur. Quamobrem quisquis humani corporis ægritudinibus, directè quantumvis mederi studeat, & animo quoque quodammodo ægrotanti, non directè saltem, medeatur, necesse est. Et quanvis, medendo, humani corporis sanitatem, proximè utplurimùm, in homine respiciamus, remotè tamen vel sanitatem, ut ita dicam, mentis incorporeæ, quâ corpus humanum vivens informatur, planè respicimus. Hinc Medicæ facultatis finis primarius, *Sanitas* est totius hominis, ratione videlicet tum mentis, tum corporis, quam conservare in eo oportet quandiu viget, reficere autem quandiu deficit. Medium verò, quod cum Sen-

ner-

nerto & alii ſcopum dicere conſueverunt, eſt *Mederi*; medendo quippe, & ſanitatem præſentem conſervat Medicus, atque abſentem inſtaurat. Quod quum ita ſit, nemo non videt, Medicinam, ratione tum objecti, tum finis, tum medii, inter pleraſque facultates longè præcellere. Circa hominem porrò omnium animalium præſtantiſſimum verſatur, ſanitatis gratiâ, quâ inter omnia mortalium bona nihil ſanè præſtantiùs, nihil quod magis expetere debeamus.

De Medicinæ primordiis, deque ejus præcipuis cultoribus, quum prolixam de iis, & ad nauſeam penè recoctam habeamus hiſtoriam, non eſt cur plura dicamus. Satis ſuperque ſit impræſentiarum animadvertere, Medicinam in ſui exordio, omnium ferè conſenſu, *Empiricam*, inde *Dogmaticam*, mox *Methodicam* extitiſſe. *Empirica* fuit, quum, ſolis obſervationibus innixi, rationibus omnino poſthabitis, artem olim medicam colebant Majores. Fuit *Dogmatica*, quum ad normam nonnullarum regularum communium, quibus indiſcriminatim, & quaſi per analogiſmum affectiones univerſas audacter non minùs, quàm perperam tractare deinceps ceperunt. Fuit *Methodica*, quum methaphyſicè tantùm ratiocinantes, ſcientiam effecerunt futilem, ac penè chimericam, cui nil mirum, ſi temporibus noſtris paſſim reclamitent obſervationes. Non injuriâ igitur in id unum hodie collimare contendunt ii ſaltem, qui præ cæteris in eâ facultate ſapiunt, ut experientia, æquè ac ratiocinium baſis ſit, & fundamentum doctrinarum univerſarum, quas in Theoriâ, non minùs, quàm in Praxi per conjecturas utplurimum eliciunt.

Triplex Medicinæ claſſis: Empirica, Dogmatica, Methodica.

Quum Medicinæ objectum adequatum, juxta traditam definitionem, *Homo* ſit; hominem priùs optimè cognoſcere conducit, hominem videlicet in duplici ſtatu, & quum benè ſe habet ratione ſanitatis, in *ſtatu* nimirum

Quinque Medicinæ partes deſcribuntur: Phyſiologia, Pathologia, Semiotica, Hygiene, & Therapeutica.

mirum *naturali*; & quum pravè afficitur, hoc eſt quum ab eo *ſtatu* ſanitatis *naturali* recedit, in *ſtatu* nempe *præternaturali*. Hinc profectò binæ Medicinæ partes præcipuæ: *Phyſiologia*, & *Pathologia*. Phyſiologia verſatur in cognitione Medicinæ objecti, hominis nempe in ſtatu ſanitatis, ideſt in *ſtatu naturali*. Pathologia verſatur in cognitione ejuſdem Medicinæ objecti, ejuſdem nempe hominis, qui tamen à ſtatu naturali recedit, *Ægrotantis* videlicet, ſive morbo affecti, ideſt in *ſtatu præternaturali*. Signa autem, quorum beneficio dignoſcitur, an benè, an malè ſe habeat homo, ratione ſanitatis; an affectio, quâ detinetur, pravæ ſit indolis, nec ne; an futura ſit diuturna, an brevi ſolvi poſſit, an cum periculo, an citra periculum &c. alteram Medicinæ partem faciunt, quæ *Semiotica* nuncupatur. Quum homo ſanus vivit, perquirendum eſt quicquid in rebus, quibus utitur, univerſis, præſtare debeat, ut incolumis ſervetur. Perquiſitio iſta quartam conſtituit Medicinæ partem, quæ *Hygiene* dicitur. Contra verò morbo quum laboret, ea præſidia excogitare oportet, quibus priſtinam ſanitatem ei comparemus. Inde Medicinæ oritur pars poſtrema, in quâ de præſidiis agitur in morbis adhibendis, quæ *Therapeutica* iccirco nuncupatur. Ex quo patet, quinque eſſe Medicinæ partes præcipuas, *Phyſiologiam*, *Pathologiam*, *Semioticen*, *Hygienen*, ac *Therapeuticen*.

Phyſiologia maximè tractat Medicinæ objectum in ſtatu naturali; ideoque agit de corpore humano, ejuſque partibus. Explicat earum conſtitutionem, ſitum, nexum, & uſum, necnon etiam facultates, ratione tum organorum, tum animæ rationalis, quæ organa informat &c.

Pathologia agit de iiſdem rebus, quas tamen conſiderat in ſtatu præternaturali; atque adeo morborum,

æquè

æquè ac ſymptomatum tradit naturam, cauſas, & differentias, & quicquid contingere valet in eodem homine, quum a ſtatu naturali recedit.

Semiotice exponit ſigna, quorum ope dignoſcere poſſumus, an ægrotet homo, nec ne; latenteſque morbos eruimus; affectionum omnium cauſas, item & eventum haurire conamur.

Hygiene verſatur circa finem Medicinæ quod ad primam partem attinet; ac propterea verſatur circa ſanitatem hominis conſervandam. Quocirca nos docet, quâ ratione præſens tuenda eſt: nimirum quo pacto præcaveri poſſit, ne in morbos incidamus.

Therapeutice verſatur quoque circa eundem Medicinæ finem, ſed quod ad alteram ſpectat partem; ideoque verſatur circa ſanitatem hominis amiſſam reparandam. Quamobrem verba facit de præſidiis univerſis, quibus morborum cauſas, eorumque ſymptomata, aut curare, aut ſaltem lenire poſſumus.

Auctoris intentio.

Partes præfatæ, quæ in rebus medicis principes videntur, ſub ſe alias partes continent minùs principales, & quaſi miniſtras, de quibus omnibus in eo libro, quem Theoriæ Medicæ paſſim inſcribunt, plerique agunt Scriptores, quem propterea in partes quinque dividendum exiſtimant, de morbis ſingulis probè dignoſcendis, explicandis, curandiſque in altero deinceps, quem Praxis Medicæ ideo dicunt, verba facturi. Nos autem in hoc tractatu, quem Typis tandem evulgare aggredimur, Theorìam, æquè ac Praxin Medicam ad Veterum, item & Recentiorum mentem promiſcuè tradendam ſuſcepimus; ut ſi quis brevitatis amans, uno eodemque tempore utranque Medicinæ partem, vaſtiſſimam licèt, condiſcere velit, id novâ prorſus, clarâ, facilique methodo conſequi poſſit.

In

Totius operis divisio.

In libros tres, maximam ſanè, niſi univerſam Medicinæ partem, quam hìc expoſituri ſumus, digerere ſtudentes, in primo de corpore humano in genere, ac præſertim de corde, de motu ſanguinis, de ſanguinis conſtitutione, & de affectionibus, quæ cor, unà & ſanguinem primariò afficiunt, ſermonem habebimus. In ſecundo, de reliquis viſceribus ejuſdem corporis humani, de cerebro videlicet, de œſophago, de ſtomacho, atque inteſtinis, de meſenterio, de chylo, alimentorumque digeſtione, de pulmonibus, deque reſpiratione, de hepate, liene, ac pancreate, de renibus, ureteribus, ac veſicâ urinariâ, necnon etiam de urinâ, æquè ac de ægritudinibus, quæ organa præfata, eorumque facultates afficere ſolent, acturi ſumus. In tertio, organa ſenſuum, æquè ac generationi inſervientia, ſenſationum doctrinas, conceptionis, ac generationis, geſtationis, puerperii &c. brevi exponentes, de mòrbis univerſis, qui in organis, æquè ac functionibus præfatis verſantur, item & de lue venereâ, de morbis Infantum, æquè ac Puerorum, dicere eſt animus. Age itaque macte animo, & ſi quando, ignarus licèt omnino, rebus medicis erudiri contendas, noſtras haſce lucubrationes planè contemnere neutiquam deberes; quas pluribus tibi de cauſis gratas fore non diffidimus; cui præterea, ratione rerum clinicè agendarum, per hiſtorias nonnullas, quas ægritudines humani corporis deſcribentes, ad calcem ſingularum exaravimus, quicquid quadraginta annorum ferè ſpatio, & in Urbe, & extra, & in publicis Noſocomiis, & in domibus Magnatum privatis, facultatem Medicam non infeliciter, Deo ſemper adjuvante, exercentes, obſervavimus, æquo, ſimplicique animo proferre non dedignabimur.

ANI-

ANIMADVERSIONES PROÆMIALES.

Variæ Medicinæ definitiones.

MEdicinam Majores deſcribentes, varias de eâ afferre conſueverunt definitiones. *Medicina eſt ars, quæ in hominum corporibus verſatur, ac ſanitatem tuetur*. Ex Hippocrate libello de arte. *Medicina ars, eſt additio, & detractio. Additio quidem eorum, quæ deficiunt. Detractio verò eorum, quæ exuperant*, num. 3. de flat. *Medicina ſcientia eſt ſalubrium, inſalubrium, & neutrorum*: Ex Herophilo apud Galenum libro de Medicinæ definitione. *Medicina eſt ſcientia, quâ humani corporis diſpoſitiones noſcuntur ex parte, quâ ſanatur, vel ab ea removetur, ut habita ſanitas conſervetur, & amiſſa recuperetur*: Ex Avicenna cap. 1. Fen. doctr. 1. lib. 1. de defin. Medic. *Medicina eſt ars corporis humani vitia per adjectionem emendandi*: Ex Heurnio Inſtitut. Medic. libro primo de element. Nos autem definitiones haſce haud refellimus, eas duntaxat potiùs omittimus, quibus noſtram hìc ideo præferre arriſit, quia longè ſatiùs per eam facultatis Medicæ naturam, & conditionem declaratum iri, viſum nobis ſit, affirmantibus cognitionem eſſe rationalem, quâ Medicus quiſque, dummodo rationalis ſit, per conjecturas proceſſu temporis, partim ſpeculando, partim experiundo, ſibi comparare debet. Num autem ars verè, num ſcientia ſit Medicina, quum id rei noſtræ inane prorſus videatur, aliis dirimendum relinquimus. Facultas utique perquam difficilis, valdè fallax, atque incerta, quam ſiquis vel leviter aſſequi velit, ad eam probè acquirendam, totum hominem adhibeat, neceſſe eſt. *Ars longa, vita brevis, occaſio præceps, experimentum periculoſum, judicium difficile, neque ſolùm ſeipſum præſtare oportet opportuna facien-*

tem;

tem; verùm & ægrum, & assidentes, & exteriora. Id porrò perquameleganter, ac penè divinè aphorismorum principio maximus proclamat Hippocrates. Enim verò, si quis aut magnitudinem totius rei, iisdem propemodum utor verbis, quibus amplitudinem rei rusticæ declarare consuevit Lucius Junius Moderatus Columella. Enim verò, siquis aut magnitudinem totius rei Medicæ quasi quandam vastitatem corporis, aut partium ejus velut singulorum membrorum numerum recenseat, non injuriâ vereri debet, ne supremus ante se dies occupet, quam universam disciplinam rerum Medicarum possit cognoscere. Nam qui se in hac facultate perfectum volet profiteri, sit oportet rerum naturæ sagacissimus, declinationum Mundi non ignarus, ut exploratum habeat quid cuique plagæ conveniat, quid repugnet, syderum ortus, & occasus memoriâ repetat, ne, quod in morbis præsertim chronicis curandis, extenuandisque persæpe contingit, ne, inquam, imbribus, ventisque imminentibus operâ inchoet, laboremque frustretur. Cæli, & Anni præsentis mores intueatur; neque enim semper eundem velut ex præscripto habitum gerunt, nec omnibus annis eodem vultu venit æstas, aut hyems, nec pluvium semper est ver, aut humidus autumnus. Quæ prænoscere sine lumine animi, & sine exquisitissimis disciplinis, non quenquam posse crediderim.

CA-

CAPUT II.

Quid sit corpus humanum vivens, & quomodo ab Anatomicis dividatur.

INter animalia ratione præditus homo, præter corpus organicum periturum, quod oculis obversatur, & mentem incorpoream non perituram, quam sensibus attingere haud possumus, habeat necesse est, quæ tanquam forma substantialis organis intimè infusa afficit organa, & in organis, sive per organa quodammodo afficitur, ut in Methaphysicis nostris fusè olim exposuimus; in quibus de hac mente prorsus incorporeâ, ac penè divinâ, verba fecimus, essentiam illius, item & facultates pervestigavimus. Reliquum est igitur, ut brevem, non minùs, quàm perfectam humani corporis historiam imposterùm exaremus, quam trifariàm per sectiones olim distinguere placuit. In primâ partes universas, & singulas in genere, tum continentes, tum contentas, tum fluidas, tum solidas, humani corporis exponentes. In secundâ de visceribus singulis agentes. In tertiâ de organis sensuum, & generationis sexus utriusque verba demum facturi. Ita sanè in Tractatu, quem de corpore humano superioribus annis evulgavimus, olim fecimus; atque id planè deinceps in tractatu, quem modò præ manibus habemus, quasi facturi sumus; eâ tamen lege, quam in capite præcedenti non ita pridem proposuimus: nimirum, ut organa singula corporis humani viventis priùs descripta, morborum series, atque historia, qui ea afficere solent, subinde insequatur. Autoris intentio, ratione descriptionis corporis humani.

Definiendum, sive per descriptionem potiùs quandam genericam, ac compendiosam describendum videtur corpus humanum, *quantitatem quandam esse ma-* Definitio corporis humani vitam habentis.

teriæ miro opificio ex limo Terræ in rerum exordio, utì Genesis docet, *in gratiam Animæ potissimùm rationalis, quâ, homine vivente, informatur, ab Opifice ter* OptimoMaximo *fabrefactam, quæ automati propemodum adinstar, per organa ab humoribus, item & ab objectis variè concitata, variè agit, ac variè afficitur, tum ut vivat, tum ut nutriatur, atque intrinsecè sibi suscipiat incrementum, tum ut conservetur, tum ut species per eam propagetur.*

Quid propriè sint ventres, & artus penes Anatomicos, ratione corporis humani.

Ventres habet, atque artus. Ventres, qui propriè dicuntur ab Anatomicis cavitates, sive capacitates, tres enumerantur. *Caput*, quod ventrem in corpore humano constituit supernum. *Thorax*, qui ventrem efficit medium. *Abdomen*, quod ventrem imum format. A situ ventres præfati distingui potissimùm, ac denominari solent. Artus autem dicuntur *brachia*, & *crura*, quæ ex cavis præfatis quodammodo proficiscuntur. Brachia nimirum superne utrinque a summo thorace. Crura infernè utrinque ab imo ventre.

Quid sit facies, ejusque divisio.

Trifariàm dividitur caput, in *Calvariam*, *Faciem*, & *Collum*. Calvaria dicitur pars capitis superna, ex quâ in corpore humano luxuriare solet cæsaries. Distribuitur calvaria in *Sinciput*, *Occiput*, *Verticem*, ac *Tempora*. Sinciput vocatur pars calvariæ anterior, nonnihil acuminata. Occiput posterior sanè latior. Superior Vertex. Partes autem calvariæ laterales nuncupantur Tempora. Facies ab extremo sincipite anteriori explicatur ad reliquas partes capitis universas anteriores. Complectitur iccirco *frontem*, *oculos*, *nasum*, *genas*, *aures*, *os*, & *mentum*. Pars colli anterior vulgò *gula* nuncupatur. Posterior propriè *cervix*. Sub gulæ finem, proximè videlicet supra Thoracem, scrobiculum quoddam exterius deprehenditur, quod *Jugulum* nuncupatur.

Thoracis divisio exterior.

Thoracis pars anterior dicitur *Pectus*. Posterior *Dor-*

Dorsus. Pectoris fossula ea exterior, quæ sese perhibet aspectui in imo pectore, versùs principium ventris imi, vocatur *Cordis Scrobiculum*, a corde, cujus extremitas propemodum in eam desinit regionem. Sinus bini laterales, exteriores quoque, qui ex utroque latere in summo Thorace, proximè sub brachiis delitescunt, vocantur *Axillæ*, a quibus in pubertate, maribus præsertim, germinant pili.

Ventris imi pars anterior trifariàm dividitur in regionem *supernam* costis finitimam, in *mediam*, atque *imam*. Ad regionem supernam spectant *duo hypochondria*, unum scilicet utrinque, quæ costis ex utroque latere proximè succedunt. Spectat quoque *Epigastrium*: regio ea videlicet abdominis anterioris, quæ ab hypochondriis explicatur ad regionem usque mediam, quæ dicitur *Umbilicalis*. Partes extremæ regionis umbilicalis laterales, quæ ad Ilia producuntur, *regiones* vocantur *Iliacæ*. Regio abdominis anterioris ima complectitur *Hypogastrium*, *Regionem pubis*, *Inguina*, *Pudenda* sexus utriusque, necnon & *Perinæum*. Hypogastrium a confinio regionis umbilicalis extenditur ad regionem usque pubis, quæ nomen suum sortita videtur penes nonnullos a pubertate, quanvis pubertas potiùs a pube denominari videatur; siquidem ex eâ regione pubertatis indicia, pili nimirum, luxuriare incipiunt. Confinia regionis istius inter coxas interiores, & pudenda appellantur Inguina. Interstitium illud, sive intervallum, quod ano, & vulvâ in Fæminis; ano, membroque virili in Maribus proximè sub scroto intercipitur, penes Anatomicos universos, perinæi nomen habet. Abdominis pars posterior supernè *lumbos* facit, sive regiones lumbares, dexteram nempe, atque sinistram. Infernè *nates*, sive *clunes*. Abdominis divisio exterior.

Brachium distribuitur in *Humerum*, *Cubitum*, & *Ma-* Brachii divisio.

Manum extremam. Humerus dicitur brachii pars superior, quæ a summo thorace proximè producitur ad nodum usque brachii intermedium, quo ei injungitur cubitus. Cubitus ab eodem nodo ad alterum usque tendit, ad eum nimirum nodum, quo ei injungitur manus extrema. Manus extrema distinguitur in *Carpum*, *Metacarpum*, & *Phalangem digitorum*. Carpus nuncupatur principium manus extremæ, quod digitis comprehendimus, ut pulsum in febre potissimùm exploremus. Carpum mox insequitur Metacarpus, qui a carpo explicatur undequaque ad prima digitorum usque confinia. Pars posterior metacarpi dicitur *Dorsus*. Anterior *Vola*. Metacarpo succedunt digiti, qui phalangem constituunt. Primus dicitur *Pollex*. Alter *Index*. Tertius *Medius*, sive *Obscænus*. *Annularis* quartus. *Auricularis*, sive *Minimus* quintus. Digiti singuli tres habent nodos; quapropter digitorum processus inter nodos intercepti, vocantur *Internodia*.

Cruris divisio.

Crus, non secus ac brachium distribuitur in *Femur*, *Tibiam*, & *Pedem extremum*. Femur ab imo ventre producitur usque ad genu. A genu ad partem usque pedis posteriorem extenditur tibia, quæ propriè *Cruris* nomine sonat. Cruris pars posterior carnosa appellatur *Sura*. Cruri succedit pes extremus, qui distinguitur in *Tarsum*, *Metatarsum*, & *Phalangem digitorum*. Tarsus est portio illa, sive processus pedis, qui & *Collum* pedis vulgò dicitur, interceptus infra malleolos, inter tibiam extremam, & partem reliquam pedis superiorem ad calcaneum usque apud nonnullos. Pes reliquus ad prima digitorum usque confinia nuncupatur *Metatarsus*. Metatarsi pars superior gibba, sive convexa *Dorsus* vocatur. Inferior cava dicitur *Planta*. Digiti singuli ejusdem pedis triplici componuntur internodio, pollice excepto, qui duplex tantùm habet in-

ternodium. Ad tibiæ principium, posteriùs tamen inter tibiam summam, & femur imum, e regione genu, occurrit scrobs exterior admodum visibilis, qui ab Anatomicis passim *Poples* nuncupatur.

ANIMADVERSIONES PHYSIOLOGICÆ.

Definitio corporis humani luculentiùs explicatur.

CORpus humanum vivens, utpote organicum, vitam suam organicam, ut postmodum dicendum, ex motu quodam elicit naturali, qui ab organis provenit, quibus compingitur. Organa moveri nequeunt, nisi aut fluidorum ope, quæ per ea fluunt, refluuntque, aut per objecta, sive interiora, sive exteriora, quibus concitantur. Motus organorum naturales, qui proximè proveniunt a fluidis consuetis idoneis, quæ per eorum meatus dirimuntur, dicuntur *activi*, in quibus nimirum corpus humanum vivens agere quodammodo videtur. Motus organorum naturales, qui in organis ejusdem corporis humani viventis concitantur ab objectis, sive exterioribus, sive interioribus, dicuntur *passivi*, in quibus organa reverà patiuntur. Motus universi, ex. gr. naturales, quorum ope vita corporis humani, tum quum vivit, conservatur, ejusque partes componentes nutriuntur, & intus sibi comparant incrementum, connumerari solent plerique inter motus naturales primi generis. Motus universi naturales, qui per objecta sensibilia in organis sensuum, tum exterioribus, tum interioribus, ut sensus in homine fiant, excitantur, inter motus corporis humani naturales secundi generis connumerari debent. Præter hosce, & alii in homine motus exoriuntur, qui quum pro lubitu voluntatis producantur, voluntarii, sive liberi, sive spontanei dicendi sunt, in quibus profectò quoque agimus; siquidem ad nutum mentis humanæ, quæ corpo-

ris

ris organa informat, ſpiritus animales a cerebro per nervos in fibras influunt muſcûlorum motrices ad excitandos motus hujuſmodi. Hoc poſito luculentiùs patet, quare corpus humanum vivens deſcribendo, quantitatem quandam eſſe dicimus materiæ miro opificio ab Opifice ter Optimo Maximo fabrefactam, quæ automati propemodum adinſtar per organa, tum ab humoribus, tum ab objectis variè concitata, variè agit, ac variè afficitur, tum ut vivat, tum ut nutriatur, atque intrinſecè ſibi ſuſcipiat incrementum, tum ut conſervetur, tum ut ſpecies per eam propagetur. Dicimus præterea *automati propemodum adinſtar*, quoniam quemadmodum automati partes componentes moventur extrinſecùs beneficio elaterii, ſive alterius cujusque impellentis intus in machinæ ſemoventis, ſive verſatilis penetralibus reconditi; ita quoque ſpiritus animales, ſive ſuccus nerveus, ſive quicquid aliud, per fibras muſculorum motrices, humani corporis viventis organa impellit, abſconditum prorsus eſt, neque ſenſus attingere valent.

CAPUT III.

De Viſceribus in genere, eorumqne ſitu, ac connexione.

Deſcribuntur viſcera ventris ſuperioris, & præcipuè cerebrum.

UBi ventres in corpore humano ſecti patefiant, ſeſe perhibent aſpectui partes quædam interiores; ſive potiùs organa quædam præcipua, quæ *Viſcera* nuncupantur. Hæc ordine ut proſequamur, a capite, veluti a corporis humani principio, ſive a cœlo quodam hominis editiſſimo exordiri conducit. Capite ſecto ſupernè ex transverſo ab occipite ad ſinciput, reſectâque parte penitùs ablatâ, ſubſtantiam quandam offen-

offendimus cineraceam, mollem, membranis obvolutam, quæ universum capitis implet cavum, *Cerebrum* nuncupatam. Membranosum illud involucrum, quo cerebri vestitur substantia, duplex est. Hinc duplicem constituit meningem, de quo suo loco. Pars cerebri anterior, quam excipit sinciput, quæque sanè maxima est, propriè dicitur *Cerebrum*. Huic posteriùs adhæret altera quædam cerebri pars longè minor, quæ propterea *Cerebellum* nuncupatur. Cerebellum adamussim aptatur, in occipite, parti occipitis infernæ, cui insidet. Tum ex cerebro, tum ex cerebello egreditur, quatuor veluti distracta radicibus, binis scilicet ex utroque, altera cerebri portio longissima, sive processus potiùs quidam cerebri longissimus, qui per foramen occipitis magnum vertebrarum ingreditur fistulam, sese producens ab occipite ad os usque sacrum. Quamobrem dicitur *Cerebrum oblongatum* a nonnullis, ab aliis *Medulla spinalis*, ab aliis *Medulla oblongata*. In cerebro, ut suo loco fusiùs dicendum, glandularum cerebri corticalium beneficio, secernuntur spiritus animales, qui a cerebro per nervos ad reliquas partes omnes corporis humani vitam habentes, distribuuntur.

Capite introspecto, & thoracem introspicere oportet, quem propterea in parte anticâ secare convenit, ut cor, æquè ac pulmones commodè detegantur. Pulmonum substantia mollis, ex subrubro pallescens, ac ubique spongiosa, universam propemodum occupat thoracis capacitatem. Secundùm longitudinem finditur in duplicem sectionem lateralem. Hinc figuram bifidam ungulæ bubulinæ persimilem pulmones habent. Faucibus suspenduntur beneficio fistulæ cujusdam peculiaris, quæ *Trachea* nuncupatur, sive *Aspera Arteria*. A faucibus trachea ad pulmones usque producitur per faciem gulæ anteriorem. Tracheæ prin-

Describuntur viscera ventris medii, & præcipuè Pulmones.

ci-

cipium, sive potiùs orificium, vel caput extuberans; dicitur *Larynx*. Per tracheam respirando aerem vicissim adducimus in pulmones, atque ex pulmonibus educimus. Inter utranque sectionem substantiæ pneumonicæ delitescit *Cor*, quod reverà situm est in medio thorace coni adinstar, cujus basis superior est, ac propterea mucro inferior. Cordis basis partibus proximis superiùs suspenditur, *mediastino* præsertim intercedente.

Describitur Mediastinum.

Mediastinum dicitur membrana crassa, validaque, carnosa, quæ rectà intercedit, sive ut meliùs dicam, quæ rectà explicatur inter utranque pulmonum sectionem a summo ad imum thoracem. Iccirco thoracis cavum æquè findit in sinus laterales. Producitur mediastinum a *Pleura* duplicatâ.

Describitur Pleura.

Pleura vocatur membrana quædam interior carnosa, mollior, ac tenujor, quæ per parietes thoracis interiores undequaque explicatur. Hæc duplicatur in regione thoracis posteriori, & duplicata mediastinum emittit, quod cor in progressu comprehendit. Inde prosequitur, desinitque in regionem thoracis ex adverso oppositam anteriorem. Quapropter, utì monuimus, nihil aliud est mediastinum, quàm processus duplicatus ejusdem pleuræ.

Describitur Diaphragma.

Thoracis cavum dividitur a cavo ventris imi, *Diaphragmate* intercedente. Diaphragma est alia membrana, sive musculus membranaceus, partim carnosa, partim tendinosa, longè crassior, atque validior, quæ transversùm apponitur, veluti fornix ad thoracis confinia, inter thoracem, & ventrem imum.

Describuntur viscera ventris imi, & præcipuè peritonæú.

Imo ventre anteriùs secto, primo intuitu *Peritonæum* occurrit, membrana nempe tenuissima, albicans, sive potiùs livescens, quæ veluti sacculus sub diaphragmate includit viscera omnia imi ventris. Quinimmo

sese

ſeſe hinc inde intus duplicans, nonnulla vel ſeorſim veſtit. Infernè emittit proceſſus binos fiſtuloſos, qui ad inguina utrinque perforant parietes abdominis, & ſub membranis exterioribus, ſub tegumentis nimirum, producuntur ad ſcrotum, ad marſupium illud videlicet, quod ad penis radicem laxè propendet. In ſcroto ex utroque latere teſtes veſtiunt, ſive quodammodo laxè obvolvunt. Secto peritonæo, in regione anteriori abdominis ſeſe proferunt *Ventriculus*, *Omentum*, *Inteſtina*, *Meſenterium*, *Hepar*, *Lien*, *Pancreas*, *Renes*, *Ureteres*, *Veſica urinaria*, *generationis Organa*. Omnia quippe tum in Maribus, tum in Fœminis, in cavo abdominis infra diaphragma, peritonæo conduntur.

Deſcribitur Ventriculus.

Ventriculus, ſive ſtomachus, tanquam utriculus ſeſe oſtendit in cavo anteriori, ac ſuperno abdominis, e regione epigaſtrii, in hypochondrio tamen ſiniſtro, proximè ſub diaphragmate. Duplici pervius eſt orificio. Unum occurrit ſupernè ſiniſtrorsùm. Alterum infernè dextrorsùm. Illud nomine caret; a nonnullis quanvis dicatur *Stomachus*. Hoc dicitur *Pylorus*, ſive *Janitor*. Orificio ſuperiori aptatur OEſophagus, ductus ſcilicet admodum inſignis, membranaceus, qui a faucibus per gulam proximè ſub tracheâ adhærens, deſcendit ad ventriculum, perforato diaphragmate. Principium œſophagi, ſive orificium œſophagi ſuperius ad fauces vocatur *Pharynx*. Ab inferiori ventriculi orificio, hoc eſt a pyloro, egrediuntur inteſtina, quæ per ambitus varios, varioſque circuitus, æquè ac anfractus ad anum uſque perducuntur. Alimenta, quibus veſcimur, ſolida, non ſecus ac fluida, ab ore per œſophagum immittuntur in ventriculi cavum, a quo per pylorum delabuntur ad inteſtina, ut ſuo loco fusè dicendum.

Deſcribitur Hepar.

Hepar occurrit quoque in eodem cavo anteriori abdominis, proximè ſub diaphragmate, ad hypochon-

drium dexterum. Quapropter adjacet lateri dextero ejuſdem ventriculi ſuſpenſum diaphragmati, partibuſque proximis per ligamenta peculiaria. Hepatis moles maxima deprehenditur. Color ejus rubicundiſſimus. Subſtantia diſtribuitur in tres, quatuorve lobos minores.

Deſcribitur Lien.

E regione hepatis in latere oppoſito obverſatur lien, ſive ſplen, in hypochondrio videlicet ſiniſtro versùs regionem anteriorem abdominis, ubi nonnihil delitescit ſub diaphragmate inter faciem ventriculi ſiniſtram, & coſtas infernas. Splenis moles oblonga eſt. Colore utplurimum ſaturatur atro. Adhæreſcit partibus finitimis vaſorum, ac ligamentorum ope.

Deſcribitur Omentum.

Ex ventriculi fundo per faciem abdominis anteriorem ſub peritonæo explicatur ad regionem uſque umbilicalem, & quandoque uſque ad inguina, membrana quædam lata, plurimùm adipoſa, quæ a figurâ ſuâ dicitur *Rete*, ab aliis *Zirbum*, *Omentum*, ſive *Epiploon*.

Deſcribitur Meſenterium.

Hac ablatâ membranâ, deteguntur Inteſtina, quæ univerſum ferè implent cavum imi ventris. Hæc ductu obliquo, eoque inflexo a pyloro ad podicem deſcendunt. Inteſtina partibus proximis ſuſpenduntur in parte poſticâ abdominis, proximè ſub diaphragmate, beneficio membranæ cujuſdam adipoſæ, quæ inteſtinorum ambitum undequaque circumligat, *Meſenterium* nuncupata.

Deſcribitur Pancreas.

Amotis inteſtinis, æquè ac meſenterio, ſeſe perhibet aſpectui facies imi ventris poſterior. In hac ſeſe objiciunt Pancreas, Renes, Ureteres, & Veſica urinaria. Pancreas dicitur viſcus quoddam tenue, ſubalbeſcens, oblongum linguæ adinſtar bubulæ, quod occurrit ſub fundo ventriculi, in facie tamen poſticâ ipſius ventriculi; ubi tranſversùm producitur versùs orificium ventriculi, inferius, ideſt versùs pylorum, ſive potiùs versùs inteſtinorum principium, cui adnectitur.

Siti sunt renes paulò inferiùs. Numero bini sunt: unus scilicet utrinque ad regiones lumbares, quibus inhærescunt. Ex renibus singulis ad vesicam urinariam descendunt variè recurvati ductus quidam minimi, qui dicuntur Ureteres. Describuntur Renes, atque Ureteres.

Vesica urinaria, quæ æmulari solet sacculum membranaceum, sita est in hypogastrio ad faciem hypogastrii anteriorem, intestino extremo inferiori posteriùs incumbens. Figuram habet pyriformem, a lato quippe fundo, quod superius est, leniter in collum arctatur, sive in cervicem; quæ producitur deorsum per medium penem in Maribus, in Fœminis ad partem vulvæ supernam. In utrisque meatum conficit urinarium, urinæ egerendæ potissimùm inservientem; quæ in renibus, ut suo loco dicendum, secedit a sanguine, inde per ureteres in vesicam defluit urinariam, ubi colligitur, donec vesica urinaria irritata, contracta, æquè ac compressa, eam foras per meatum urinarium egerat. Inter vesicam urinariam, & intestinum rectum in fœminis intercipitur uterus cum partibus adnexis; in maribus non procul a collo vesicæ, posteriùs tamen utrinque occurrunt vesiculæ seminales, de quibus universis fusè suo loco quoque dicendum. Describitur Vesica urinaria.

Perpauca hæc primùm, & quasi in operis vestibulo, ratione situs, nexusque organorum innuere placuit, ut quicquid de Anatome corporis humani paucis deinceps proferre est animus, luculentiùs quisque percipere queat.

CAPUT IV.

De Partibus minoribus corporis humani, quæ, veluti componentes, majores componunt.

Describitur natura partium componentium organa corporis humani viventis.

SIquis humani corporis vitam habentis organa, tum interiora, tum exteriora accuratè inquirat, duplicis generis partes primo aſpectu attinget: ſolidas nimirum, & fluidas. Solidæ ſunt *oſſa*, *caro*, *pinguedo*, & reliqua, quæ in corpore humano conſiſtunt, ſibi invicem nectuntur, atque exteriori quâdam figurâ circumſcribuntur: ideſt, ut ſcholaſticè loquar, propriis detinentur terminis. Fluidum contra dicimus, ſive humorem, ſive liquidum, quicquid fuſum, aut per tubulos, ſive canaliculos, vel meatus ejuſdem corporis humani fluit, aut ſinibus colligitur, ideſt *ſanguinem*, *ſerum*, *lympham*, *chylum*, *ſuccum nerveum*, *ſpiritum animalem*, reliquoſque, ſi qui adſint humores; quibus organa, eorumque ſolida inſtrumenta irrigantur; quæ propterea vivunt, aguntque, ſibique alimoniam, atque incrementum ſuſcipiunt.

Quid ſint partes ſolidæ.

Partes ſolidæ diſtribuuntur in duras, ac molles. Duræ ex. gr. ſunt oſſa, quæ ſi vel contrectas, vel palpas, minimè cedunt, vel cedendo, potiùs infringuntur. Caro autem, pinguedo, & reliqua, molles dicuntur; eoquòd palpanti non ita firmiter reluctentur.

Deſcribuntur aliæ partes minores, quæ partes majores ſolidas conſtituunt.

Quævis pars; ſive mollis, ſive dura, aut fibris intexitur, aut vaſis, aut membranis. Quinimmo intexitur utplurimum unà & fibris, & vaſis, & membranis. At vaſa ipſa, ipſæque membranæ quum nihil aliud ſint reverà, quàm fibrarum plexus, concludendum videtur, partes univerſas corporis humani, ſi modò ſolidæ ſint, hoc eſt, ſi duræ, ſi molles, fibris duntaxat implicari.

Fi-

Fibræ dicuntur *ſtamina quædam minima, filorum adinſtar producta, quæ, ceu diximus, reliquas omnes corporis humani partes ſolidas compingunt.* In carne ſunt iccirco rubicundæ ob ſanguinem, quo irrigari ſolent, dicunturque *carnoſæ*. In oſſibus, eoquòd ſanguine careant, candorem præſeferunt, atque adeo nuncupantur *oſſium fibræ albicantes*. In tendinibus, nervis, cartilaginibus, quæ utpote oſſium, & carnis ſubſtantiam, ut ita dicam, participent, lividas ſeſe objiciunt; ac propterea *liveſcentes, ſive potiùs nervoſæ, tendinoſæ, cartilagineæ* vocantur. Deſcribuntur varia fibrarum genera.

Vaſorum nomine deſignamus *corpora quædam oblonga utplurimum, intus cava, veluti totidem canaliculi, quò humores, tanquam per meatus ſuos peculiares de regione in regionem deferuntur*. Hujuſmodi ſunt *arteriæ, venæ, nervi, ductus lymphatici, ductus chyliferi*, & reliqui, per quos humores humani corporis viventis fluunt, & refluunt. Deſcribuntur varia vaſorum genera.

Arteriæ dicuntur *vaſa ſanguifera, quò ſanguis a corde movetur ad reliquas corporis partes, tanquam a centro quodam corporis humani ad circumferentiam.* Nuncupantur *venæ alia quædam vaſa ſanguifera, quò ſanguis a reliquis corporis partibus refluit ad cor, tanquam a circumferentiâ ad centrum ejuſdem corporis humani*. Vocantur *nervi ductus quidam fibroſi, ſive potiùs medullares, per quos ſpiritus animales, ſive ſuccus nerveus, ſive ros quidam ſanguinis perquamtenuis, quique ſub aſpectum non cadit, a cerebro effunditur ad reliquas partes corporis humani, ſive ſenſitivas, ſive mobiles, quibus aut ſenſum, aut motum, aut utrumque impertiri valet*. *Ductus lymphatici, ductus chyliferi, ſive venæ lacteæ dicuntur ductus quidam perexiles, pellucidi, per quos fluit vel humor tenuiſſimus, & limpidiſſimus, aquæ adinſtar defæcatiſſimæ, qui propterea dicitur lympha*, Quid ſint arteriæ, venæ, ductus Lymphatici, ac chyliferi.

pha; vel fluit humor crassiusculus, albicans veluti lac, qui penes Anatomicos *chyli* nomine sonat.

Quid sint membranæ.

Nihil aliud sunt *membranæ, quàm corpora quædam lata, & mollia, quæ reliquas humani corporis partes solidas vestiunt, easque firmant, & nectunt, vel abinvicem distinguunt, aut vasorum parietes, & ventres constituunt, aut in valvulas aptantur*. Membranæ modò sese perhibent carnosas, ideſt rubore suffusas, modò tendinosas, sive nervosas, ideſt livescentes, necnon & quandoque albicantes, prout sunt fibræ, quibus contexuntur.

Quid sint valvulæ.

Valvulæ dicuntur *membranulæ quædam ita fermè instructæ, ac positæ ad vasorum orificia, sive meatus, ut retrocedentibus humoribus per vasa reluctentur*. Quocirca ita consurgunt ad orificia arteriarum, ut deprimantur, & viam sternant sanguini, qui a corde fluit ad reliquas partes corporis humani. Eriguntur contra, objicesque nectunt, quum idem sanguis a reliquis partibus corporis humani retrocedere enitatur versùs cor; eodem propemodum modo, quo respectu aeris per syringam immissi in cavum follis agit valvula illa, quæ apponitur follis orificio, ne aer priùs immissus, foras inde emittatur. Valvulæ dicuntur a mole, necnon etiam a munere, eoquòd veluti parvæ valvæ meatus, & orificia vasorum claudant.

Quid sint musculi.

Membranæ, fibræ, & vasa quibusdam in locis ita mutuò conveniunt, & immittuntur in corpore humano, ut *musculos* hinc inde, atque *glandulas* efficiant. *Musculi* dicuntur *partes quædam molles, carnosæ corporis humani, variæ molis, & figuræ, ita per organa, atque in artubus ejusdem corporis humani instructæ, ut per ipsas, veluti per instrumenta peculiaria moveantur*.

Quid sint glandulæ.

Glandulæ nuncupantur *partes quædam carnosæ, longè tamen molliores, magisque spongiosæ, quàm musculi,*

ſculi, variæ quoque molis, variæque figuræ ita ſparſim ſitæ, atque inſtructæ per corporis ambitum, tum intus, tum foris, ut per ipſas a ſanguine prætereunte varii excernantur humores, ſive ſupervacui, ſive nutriendo idonei.

Partes præterea corporis humani aliæ vocantur ab Anatomicis *ſimilares*, *diſſimilares* aliæ. Aliæ *organicæ*, ſive *inſtrumentales*, aliæ *inorganicæ*. Similares ſunt, quæ partibus ejuſdem generis conſtare videntur, utì oſſa. Non ita muſculi ex. gr., qui, quum partibus diverſis congregentur, fibris nimirum, vaſis, & membranis, diſſimilares dici debent. Organicæ nuncupantur, quæ neceſſariò requiruntur, ut in corpore humano vivente munus quoddam peculiare exequantur, non ſecus ac oculorum gemma, ratione viſionis peragendæ. Ciliorum autem pili, quibus ablatis, viſio adhuc elici queit, partes inorganicæ nuncupari ſolent. Quid ſint partes ſimilares, diſſimilares, Organicæ, & inorganicæ.

Veteres inſuper diſtinguere conſueverunt partes ſolidas corporis humani in *ſpermaticas*, & *ſanguineas*, ſibi effingentes oſſa, cartilagines, ligamenta, & reliquas, ſi quæ adſint in corpore humano, partes, quæ rubore non ſuffunduntur, excitari poſt conceptionem fœtus in utero ex ſolo ſemine liquato priùs, & mox concreto, ut incrementum exinde conſequantur ope ſucci nutrititii chyloſi, ad differentiam carnis, quæ rubicunda eſt, & penes eos, ex puro ſanguine concreſcit, & alitur. Quid ſint penes Veteres partes ſpermaticæ, & ſanguineæ.

CA-

CAPUT V.

De Humoribus præcipuis, sive de partibus fluidis corporis humani.

Quid sint in sanguine propriè cruor, & serum.

UTut carnem humanam adhuc viventem, vel leviter in organis incidas, sive foris, sive intus, humorem illico impensè rubicundum, atque effervescentem prosilire observabis, qui *Sanguis* ab omnibus dicitur, *Cruor* a nonnullis, a Græcis *Hæma*. Valde tenuis, fluidus, & calidus ex corporibus sanis erumpit. Mox tamen sensim frigefit, atque admodum concrescit extra vasa sua peculiaria, ex quibus in corpore humano elicitur. At uno, eodemque tempore, quo paulatim densatur pars sanguinis rubicunda, veluti per fibras sibi mutuò appositas, quæ propterea *fibrosa* vulgò dicitur, secernitur ab eodem sanguine concrescente alius humor tenuissimus, ac defœcatus, aquæ adinstar crassiusculæ, qui dicitur *Serum*. Ex quo non temerè concludendum videtur, sanguinem in corpore humano partem esse fluidam heterogeneam, idest dissimilarem; quæ fieri minimè potest, quo minùs saltem congregetur duobus humoribus præcipuis non ejusdem generis: humore videlicet rubicundo, crassiusculo, quem nos deinceps propriè vocabimus *Cruorem* sanguinis, de quo fusè postmodum; atque humore quodam pellucido, ac tenui, quem imposterum appellabimus *Serum* ejusdem sanguinis. A sero præsertim fluorem sibi comparat massa sanguinis in corpore humano. A cruore consistentiam, & ruborem.

Quid propriè sit lympha.

Serum, quod & *Horros* nuncupatur a Græcis, nihil aliud significat, nisi sive sanguinis, sive lactis partem aquosam, quam *pituitosam*, utì dicendum, vocant Ga-

Galenici, *phlegmaticam* Chymici. Pars ista sanguinis reliquam sanguinis massam diluere solet, eamque magis fluidam, utì innuimus, facere. Iccirco *lympha* quoque a nonnullis appellatur, lympha quanvis passim usurpetur pro parte tenuissimâ, & defæcatissimâ ipsius seri, quæ secernitur a sanguine, sive potiùs a sero, penes nonnullos per glandulas minimas peculiares, penes alios per minima vasorum spiracula. Neque desunt inter Recentiores, qui sibi suadeant, lympham secedere ab eodem sanguine in corpore humano per canaliculos quosdam lymphaticos, qui eam aut a vasis sanguiferis, aut a glandulis aliorsum devehunt.

Quare serum, & lympha ad ignẽ admota concrescant.

Ex sero sanguinis educunt Chymici plurimum phlegmatis, aliquid sulphuris, & perpauca salia alkalica. Hinc fit, ut serum ad ignem admotum, phlegmate omnino, & alkali evaporatis, nonnihil concrescat gelatinæ adinstar. Concrescit quippe pars seri sulphurea, quæ, utì monuimus, particulis congregatur mollioribus, atque implicantibus, quæ propterea, reliquis evanescentibus, mutuò sese implicant, & concrescendo, fluorem prorsus amittunt. Id quoque de lymphâ ferè observamus, eo tamen discrimine, quod partes volatiles ab igne in lymphâ excitatæ, faciliùs, atque majori absumuntur in copiâ. Ex quo concludendum videtur, tenujores esse, magisque volatiles in lymphâ, quàm in sero, cujus lympha, utì dictum fuit, pars est tenuissima, & defæcatissima.

Quid sint spiritus animales, & succus nerveus.

Spiritus animalis vocatur pars quædam sanguinis tenuissima, valde mobilis, & concitata, quæ plurimam quanvis habeat vim in corpore humano vivente, ratione motus organorum, ob tenuitatem tamen maximam, sensus nostros omnino fugit. Spiritus animales, utì admodum probabile est, secernuntur a sanguine in cerebro, & a cerebro lucis adinstar, ut ita dicam, per ner-

vos, ad reliquas effunduntur corporis partes, in quibus aut motum, aut sensum, aut utrunque excitare valent. Quia autem spiritus animales tenuissimi sunt, & concitatissimi, ne eorum fiat nimium dispendium, opinantur nonnulli, unà cum spiritibus animalibus per nervorum fibras lympham quandam provehi adhuc tenujorem, ex quâ aliquid consistentiæ acquirant, & quodammodo in nervis detineantur. Quo in casu lympham hujusmodi tenujorem appellare consueverunt *succum nerveum*; eoquòd succi istius ope, nervorum ali substantiam potissimùm, existiment.

Quid sit chylus.

Præfati humores, sive proximè, sive remotè chylo reficiuntur; chylus enim, qui ab alimentis, quibus vescimur, educitur, sanguini permixtus, & sanguinem, & per sanguinem, ut mox dicendum, reliquos omnes restaurat humores. Dicitur chylus humor quidam, sive succus alimentorum crassiusculus, sive pultaceus, lactis non absimilis, qui per digestionem ab alimentis tum in ventriculo, tum in anfractibus, sive recessibus intestinorum elicitur pro sanguinis, utì diximus, aliorumque fluidorum, ac cæterarum partium solidarum, opportunâ refectione.

Quid sint bilis, & succus pancreaticus.

Præter hosce humores, qui magis præcipui, adsunt & alii, qui longè minus præcipui videntur, *Bilis* nimirum, & *Succus pancreaticus*. Bilis est humor quidam flavus, amaricans, qui in hepate secernitur, & ab hepate per ductum peculiarem, qui dicitur *Choledochus*, defluit in ductum intestinorum. Succus pancreaticus est lympha quædam acidiuscula, sive potiùs subdulcis, quæ secernitur in pancreate, & a pancreate per ductum pancreaticum unà cum bile in eadem intus depluit intestina.

Describuntur in genere motus, secretiones, ac distributiones fluidorum præcipuæ.

Quod quum ita sit, affirmare possumus 1. sanguinem *humorem esse rubicundum, sive cruentum sero dilutum, qui in corpore humano vitam habente in gyrum* *mo-*

movetur a corde per arterias ad reliquas partes ejuſdem corporis humani, tanquam a centro ad circumferentiam corporis humani, & a reliquis partibus corporis humani ad cor, veluti a circumferentiâ ad centrum. 2. Spiritus animales *partem eſſe ſanguinis defæcatiſſimam, tenuiſſimamque, valde mobilem, & concitatam, quæ in cerebro ſecernitur, atque a cerebro, utì creditur, per nervos effunditur ad reliquas partes corporis humani viventis, motui, ac ſenſui conſervandis, excitandiſque potiſſimùm inſervientem.* 3. Lympham *ſerum eſſe quoddam magis purum, magiſque limpidum, ſive partem ſeri tenuiſſimam, quæ ſecedens a ſanguine, fluit per vaſa lymphatica.* 4. Chylum *humorem eſſe alibilem, ſive ſuccum alimentorum, lactis adinſtar nonnihil conſiſtentem, ſive pultaceum, qui per coctionem, ſive digeſtionem ab alimentis educitur in ventriculo, æquè ac in inteſtinis, atque ab inteſtinis per vaſa lactea, ductumque thoracicum perducitur in ſanguinem.* 5. Bilem *humorem eſſe flaveſcentem, amarum, qui a ſanguine ſecernitur in hepate, atque ab hepate per ductum choledochum, maximâ ſaltem ex parte, inſtillat in cavum inteſtinorum* 6. Succum pancreaticum *humorem eſſe lymphaticum, ſubdulcem quandoque, quandoque ſubacidum, qui in pancreate a ſanguine ſecernitur, atque a pancreate per ductum pancreaticum in eadem depluit inteſtina.* At enim verò, ut id magis adhuc eluceſcat, motum ſanguinis, aliorumque fluidorum ex profeſsò, & prolixè deinceps explicandum, paucis & hìc attingere expedit.

Inter viſcera humani corporis præcipua, cor, cerebrum, unà cum œſophago, atque inteſtinis, ſtomachus, ſive ventriculus habenda ſunt. A corde quippe ſanguinem, a cerebro ſpiritus animales, ab œſophago, ſtomacho, ac precipuè ab inteſtinis chylum ad reliquas omnes humani corporis partes pro earum vitâ, calore, Deſcribuntur viſcera præcipua corporis humani viventis.

 nu-

nutritione, ac intrinseco augmento, sive proximè, sive remotè deferri, certum est. Ab alimentis enim, quæ deglutiendo per œsophagum immittimus in ventriculum, atque a ventriculo per pylorum elabuntur ad intestina, digestionis ope, ut fusiùs imposterùm declaraturi sumus, educitur chylus; qui a fæcibus secretus, dum fæces, quæ crassiores sunt, per inferiora egeruntur, utpote tenuior, per minima intestinorum foramina ductus subit chyliferos, ac per ductus chyliferos, chyli quædam receptacula in mesenterio conspicua, unde per ductum thoracicum, per alium ductum nimirum chyliferum, ad venam ascendit subclaviam sinistram, de quâ quoque mox dicendum; ubi cum sanguine immixtus confluit in truncum venarum communem, quà descendit ad cor. A corde per arterias unà cum eodem sanguine ad reliquas effunditur humani corporis viventis partes; a quibus per venas iterum ad cor, a corde per arterias ad partes, a partibus per venas ad cor, & sic deinceps. Hinc motus ille sanguinis temporibus nostris solemnis, qui dicitur in corpore humano *circularis*, & quem ex professò de corde agentes fusè in capitibus sequentibus expositurі sumus. A sanguine, qui cerebrum arteriarum beneficio conscendit, secernuntur spiritus animales, qui per nervos ad partes universas distribuuntur, quæ in corpore humano vitam habente, sive mobiles, sive sensitivæ sunt, pro motu, sensuque in iis excitandis. Ab eodem sanguine, qui per alias partes ejusdem corporis humani in gyrum movetur, secernitur lympha, quæ sive a glandulis, sive ab arteriis, sive ab iisdem venis per ductus lymphaticos aliorsum defertur. A sanguine, qui hepar, & pancreas irrigat, secernitur bilis, & succus, qui dicitur pancreaticus, quorum pars maxima per ductus peculiares defluit ad principium intestinorum, non procul a pyloro.

A san-

A ſanguine, qui per arterias emulgentes utrinque ad renes deflectit, ſecernitur urina, quæ a renibus per ureteres illabitur in veſicam urinariam, a quâ per urethram mingendo excernitur. A ſanguine, qui per arterias ſpermaticas dirimitur ad teſtes, ſecernitur ſemen, ſive ſperma virile. Id in limine Tractatus præciſè monuiſſe non abs re exiſtimavimus, traditâ quippe earum rerum ideâ generali, quicquid de ſingulis ſingillatim recenſebimus, faciliùs quemque intelligere poſſe, arbitramur.

CAPUT VI.

De Muſculis in genere.

Deſcribuntur muſculi in genere.

MUſculi ſunt partes organicæ, diſſimilares corporis humani vitam habentis, quorum beneficio præſertim, veluti per inſtrumenta peculiaria, fit membrorum motus. Quocirca habentur ab Anatomicis tanquam præcipua motus inſtrumenta. Muſculi dicuntur quaſi parvi mures, eoquòd pluribus in locis mures parvos corio exutos æmulari ſoleant. Attamen variæ figuræ, variæque deprehenduntur molis. Alii quippe minores ſunt, majores alii, alii maximi, alii minimi. Rotundos ſeſe perhibent nonnulli, nonnulli quadratos. Explicantur alii in membranarum formam. In orbem alii circumducuntur. Quibuſdam in locis cavi ſunt. Nullum alii cavum habent &c.

Diſtribuuntur muſculi in partes præcipuas.

Organicæ partes ſunt muſculi; ablatis quippe, ſive intimè læſis, deficit omnino motus partis illius, cui muſculus ablatus, ſive læſus inſervire debuiſſet. Diſſimilares item habendi ſunt. Eorum enim ſubſtantia, quod ad formam exteriorem, plerumque diſtinguitur in carnem, & tendines. Caro dicitur eorum pars intermedia utplurimùm rubicunda, & longè craſſior,

quæ

quæ idcirco *venter* quoque nuncupatur. Musculi extremi, qui exiliores esse solent, atque albicantes, qui veluti appendices quædam ex utroque ventris extremo quodammodo proficiscuntur; vocantur *tendines*. Alter dicitur *caput*, alter *cauda*. Caput musculi appellatur tendo, qui partibus iis affigitur, quæ, respectu musculi agentis, habentur tanquam immobiles. Caudam contra vocamus in musculo alterum tendinem, qui partibus implantatur, quæ in corpore humano, musculo agente, adducuntur versùs partes immobiles, idest versùs caput ejusdem musculi agentis.

TAB.I.FIG.I.

Exponuntur præfatæ partes musculorum præcipuæ.

Sit ex.gr.in corpore humano cubitus AB, qui, si brachium inflectatur per musculum G, moveri debet versùs humerum DA. Venter musculi est pars intermedia G rubicunda, & crassior. Tendines sunt FG, GC: partes scilicet musculi extremæ graciliores, & albicantes. Tendo F G dicitur caput, quod egreditur ab humero B A, qui, licèt musculus contrahatur, moveri non potest ratione flexionis brachii. Tendo G C nuncupatur cauda; desinit quippe, atque absumitur in cubitum A B, qui in flexione brachii præfati per musculi contractionem adducitur versùs humerum A D.

Describitur in genere musculorum textura.

Insuper dissimilares quoque habendi sunt musculi ratione substantiæ, sive texturæ interioris. Foris enim tunicâ obducuntur perquamexili. Sub hac tunicâ quamplurimæ deprehenduntur fibræ, quæ a munere suo vocantur *motrices*. Inter fibras triplicis generis occurrunt vasa: arteriæ videlicet, venæ, & nervi. Tunica musculorum exterior tenuissima, & pellucida undequaque explicatur per musculorum ambitum, æquè vestiens ventrem, & tendines. Tunicâ ablatâ, offendimus illico fibras præfatas musculorum motrices, quæ a capite ad caudam usque producuntur ferè parallelæ, sive æquidistantes. In ventre tamen abinvicem nonnihil

hil

hil recedunt, ac varias iccirco relinquunt ibi intercapedines, quibus innumeras penè excipiunt ſanguiferorum minimas propagines, arteriarum nempe, venarumque. Hinc ventris color rubicundus; caro enim ex ſeipsâ haud rubet, ſed ruborem ſuum nanciſcitur ab humore cruento, quo per minimos tubulos ſanguiferos irrigatur. Quapropter ſi omnino exprimatur ſanguis, & ſi pluries inde abluatur, muſculorum venter ex rubicundo candidiſſimus fit. De muſculorum nervis id potiſſimùm animadvertamus oportet, quod antequam ſubeant muſculum interiorem, nonnihil producuntur per membranam exteriorem, mox eam pervadunt ad fibras uſque muſculorum omnes motrices, quas tamen circa tendines magis, quàm circa ventrem attingere ſolent.

Per arterias fluit ſanguis a corde ad muſculos, quorum ſubſtantiam irrigat, fovet, alit. Reliquus a nutritione ſanguis per venas a muſculis refluit ad cor. Præterea ſanguis, qui per arterias in gyrum movetur a corde ad muſculos, atque a muſculis ad cor, plurimùm confert ad perficiendam muſculorum actionem, ut mox dicendum. Per nervos effunduntur a cerebro ſpiritus animales in fibras muſculorum motrices, quas quodammodo inflant, ſive potiùs diſtrahunt ſecundùm latitudinem, & contrahunt ſecundùm longitudinem, quo muſculus contractus partem mobilem versùs immobilem adducit. Ex quibus patet muſculorum munus præcipuum eſſe in corpore humano, ut tanquam organa peculiaria, & tanquam inſtrumenta idonea membra moveant, eaque firment, & renixum quændam *tonicum* iis comparent; quod ſanè præſtant per influxum ſpirituum animalium, necnon & per motum ſanguinis circularem, & præſertim per contractionem fibrarum. Hinc fibræ muſculorum motrices intexuntur, ſive potiùs

Exponitur quodammodo muſculorum actio.

tiùs compinguntur, atque implicantur pluribus aliis fibrulis, aut ſtaminibus longè minoribus, quæ, utì ſaltem admodum probabile eſt, ob influxum ſpirituum animalium, qui, utì diximus, fibras intimè ſubeunt motrices, ab invicem recedunt; atque adeo, non ſecus ac funes madidi diſtractæ incraſſantur, contrahunturque.

Quo pacto Recentiores nonnulli probabiliùs explicare consueverunt musculorum actionem.

Sunt qui ſe obſervaſſe teſtantur, muſculos, ſive compreſſis, ſive obſtructis ſanguiferorum truncis, qui ad eos dirimuntur, ſtatim veluti paralyſi, aut convulſione quadam affecti, facultatem ſuam illico prorſus amiſiſſe; ſiquidem contracti, nonniſi per vim poſtmodum producuntur, ideſt quaſi convulſi reluctantur; quod, ni fallor, provenit, quia muſculorum fibræ motrices contrahi nequeunt, niſi diſtrahantur, ſive quodammodo explicentur; diſtrahi, atque explicari nequaquam poſſunt, niſi ſanguiferorum comprimant ramuſculos interceptos, ex quibus ſanguinem exprimant. Id tamen fieri minimè poteſt, quin ſanguis ab arteriis excludatur in venas. Obſtructis iccirco venis, ſive compreſſis, neceſſariò deleri debet in muſculis ea vis, quâ ſui contractionem inducunt. Contra autem obſtructis, ſive compreſſis arteriis, muſculus facilè licèt contrahatur, pluriìmùm tamen reſiſtit, ne deinceps producatur. Etenim fibræ motrices ſemel contractæ, contractionem ſuam obnixè conſervarent, niſi ab alterâ vi quadam exteriori producerentur, vel niſi comprimerentur per diaſtolen arteriarum, quæ iis inſeruntur. Verùm ſanguinis motu præcluſo, arteriæ per diaſtolen explicari nequeunt. Ergo &c. Ex quo inferre poſſumus, ſanguinis motum circularem, ratione muſculorum actionis, neutiquam veluti cauſam proximam efficientem, ut nonnulli ſibi ſuadent, ſed ſolùm veluti conditionem neceſſariam ſe habere. Quicquid in eâ ob-

obſervatione ab aliis reſcivimus, & nobis olim, quum ab ineunte ætate Peruſiæ, exercitationis, atque eruditionis gratiâ, ſectionibus anatomicis in ædibus noſtris vacabamus, in cane adhuc vivente ſecto, ſemel quoque contigiſſe viſum eſt. Opinionem hanc, quam ut noſtram haud protulimus, quamque ab aliis equidem excepimus, longè probabiliorem, noſtriſque rebus magis accommodatam ducerem; ſi tamen æquè, ut rem explicat, iteratis obſervationibus adamuſſim reſponderet. Cæterum muſculorum actionem explicare, rem arduam, implicatiſſimam, obſcuram, ac planè incertam, aliis non minùs quàm nobis hactenus ſemper fuiſſe, & forſitan futuram fore, candidè fateamur, oportet.

Variæ muſculorum denominationes.

Muſculi, ratione tum figuræ ſuæ exterioris, tum interioris ſtructuræ, tum muneris ſui peculiaris, varia ſortiti ſunt nomina. Hinc ratione figuræ dicuntur *cucullares*, *lati*, *pyramidales*, *triangulares*, *rotundi*, *quadrati &c.* Ratione ſtructuræ nuncupantur *digaſtrici*, ſive, *biventres*; *trigaſtrici*, ſive *triventres*; *bicipites &c.* Digaſtrici vocantur, qui binos habent ventres; qui tres, trigaſtrici. Biceps dicitur quum tendo, muſculi caput efficiens, duplex ſit; quum triplex, triceps. Ratione muneris appellantur *flexores*, *extenſores*, *contractores*, *elevatores &c.* Dicunturque *ſphincteres*, ſive *clauſores* muſculi quidam orbiculares, qui circumducuntur ad orificia vaſorum, quæ contrahunt, atque adeo claudunt. Quocirca ſphincter ani vocatur alius. Alius ſphincter veſicæ &c. At enim verò, quia muſculi agendo, utplurimum ſibi ex adverſo reſiſtunt, atque, ut ita dicam, colluctantur, ideo muſculi omnes, qui ſeſe contrahentes ex oppoſito enituntur, appellari conſueverunt ab Anatòmicis *Antagoniſtæ*, ſive *contranitentes*.

CAPUT VII.

De Glandulis in genere.

Quid sint glandulæ.

GLandulæ sunt partes dissimilares (non omnes tamen organicæ) carnosæ, spongiosæ, longè molliores quàm musculi, quæ hinc inde sparsim effunduntur per humani corporis ambitum, tum intus, tum foris, ut a sanguine præterlabente varii præsertim excernantur humores peculiares, qui, sive tanquam recrementa foras emittuntur, sive, vel pro nutritione, vel pro aliis usibus aliorsum deferuntur. Dicuntur glandulæ, perinde ac parvæ si essent glandes. Nihilominus figuram, molem, item & texturam admodum variam habent. Aliæ siquidem minores, majores aliæ, nonnullæ minimæ, nonnullæ maximæ deprehenduntur. Aliæ orbiculares. Oblongas aliæ sese ostendunt. Quibusdam in locis simplices, hoc est distinctas ab aliarum consortio, sese offerunt. Quibusdam in aliis pluribus congregantur glandulis minoribus &c.

Describuntur glandularum sinus.

Glandularum substantia non injurià dissimilaris censetur; variis quippe implicatur tunicis exilibus, necnon etiam vasculis pluribus cujuslibet generis, ita tamen sibi mutuò innexis, ut sinus minimos interiores constituant. Sinus in plures quandoque alios distribuuntur adhuc minores, ita tamen adinvicem communicantes, ut ex uno in alterum patens deinceps sit aditus.

Describuntur substantia, item & glandularum usus.

Tunicâ foris utplurimum obducuntur tenuissimâ, quâ ablatâ, mollem sese profert, laxamque glandularum substantia spongiosa, quæ arteriis intexitur, venis, & nervis. Ideoque sanguine irrigatur, unà & spiritibus animalibus, sive succo nerveo. Præterea glandulæ habent quoque alia quædam vascula peculiaria, quæ

quæ egrediuntur ab earum finibus interioribus, dicunturque *excretoria*; eoquòd per ea humor excernatur glandularum, qui a sanguine secedit. Humor præfatus secedit a sanguine in glandulis, utì admodum probabile videtur, & ob peculiarem glandularum texturam, & ob variam minimorum foraminum formam, ac figuram, & ob motum sanguinis circularem, qui per glandulas jugiter fluit, refluitque. Sanguis enim, utì dicendum, variis congregatur particulis heterogeneis, quæ non omnes æquè aptantur tubulorum præfatis minimis foraminibus, quibus intexitur glandularum substantia interior. Hinc, dum per illos sanguis movetur in gyrum, iterum, atque iterum, ea spiracula subeunt tantùm particulæ quædam sanguinis peculiares idoneæ, ex quibus inde congregatur humor a sanguine omnino diversus; qui a tubulis exudat in finibus, ubi colligitur, donec per vasculum excretorium aliorsum devehatur. Eo pacto saliva, sudor, lacrymæ, lympha, sive serum, quod nares humectat interiores, & reliqua a sanguine secedunt. Ex quo patet, se habere glandulas in corpore humano, tanquam minima quædam cola, vel minima quædam cribrula, variis a sanguine humoribus secernendis potissimùm inservientia. Quod, ut faciliùs succedat, per nervos, ni fallor, a cerebro effunduntur ad glandulas spiritus animales, qui glandularum tubulos, æquè ac membranas extendunt, ac foraminula explicant, ne laxè subsidant, concidant, atque occludantur. Hæc est ex nostrâ sententiâ facultas glandularum, Galenicis hactenus occulta. Hoc, est fermentum illud, quod glandulis adscribere consueverunt plerique Chymici.

Si glandularum fabricam interiorem accuratè rimemur, id præ cæteris elicimus, quod glandulæ, quibusdam in locis, minimis congregantur vesiculis cavis, *Distribuuntur glandulæ in vasculares, & vesiculares.*

 quæ

quæ ſibi mutuò communicant. Veſicularum parietes vaſculis intexuntur. Quibuſdam in aliis ita vaſculis prorſus implicantur glandulæ, ut earum ſubſtantia interior mollis nihil aliud videatur, quàm tubulorum plexus implicatiſſimus. Ex quo factum eſſe videtur, ut glandulæ in genere diſtinguantur in *vaſculares*, & *veſiculares*. Vaſculares dicuntur, quæ vaſculis ita implicantur, ut earum ſubſtantia interior nihil aliud appareat, quàm aggregatum molle, atque ſpongioſum. Veſiculares appellantur, quæ minimis ubique compinguntur veſiculis.

Diſtribuuntur in conglobatas, & conglomeratas.

Rurſus glandulæ pluribus quandoque glandulis componuntur, quæ propterea nuncupantur *glandulæ conglomeratæ*, ut ab aliis diſtinguantur, quæ vocantur *conglobatæ*. In glandulis conglomeratis glandulæ ſingulæ componentes ſua minima emittunt vaſcula excretoria peculiaria; quæ tamen in unum coeunt commune, quod vaſculum appellatur glandularum conglomeratarum *excretorium commune*.

CAPUT VIII.

De Tegumentis, ac primò de Cuticulâ.

Deſcribuntur tegumenta corporis humani:

Tegumentis ubique veſtitur facies exterior, ſive ſuperficies corporis humani. *Cuticulâ* nempe, *cute*, *adipe*, ac *carne*; quæ omnia quatuor efficiunt membranas univerſales humani corporis exteriores, in quo cuticulam primùm offendimus; cui ſuccedit cutis. Sub cute *in corpore humano* explicatur adeps. Adipem proximè ſubſequitur caro. Dicimus in corpore humano, quum in pleriſque brutorum priùs ſeſe perhibeat aſpectui caro, ſive membrana carnoſa, cui ſubſternitur adeps, ſive membrana adipoſa pro variis uſibus, de quibus ſuo loco. Cu-

Cuticula Græcis dicitur *Epidermis*, ideſt ſupra cutem. Tenuiſſima eſt, denſa, exſanguis, indolens. Corpus humanum undequaque tegit, cutique ſubjectæ ita firmiter adhæreſcit, ut avelli vix queat, niſi leniter excoquatur. Cuticulæ ſubſtantia ſimilaris videtur. Pellucida eſt vel in Æthiope, in quo nigrâ quaſi ſuffunditur fuligine, ob mucorem tenuem, atrum, qui ſubjectam cutem quodammodo oblinire ſolet. Innumeris ubique ſpiraculis pervia deprehenditur, ad quæ hiant vaſcula minima excretoria glandularum cutis ſubjectarum, obſervationibus Malpighii microſcopio factis ſi fides habenda eſt. Pluribus contexitur villis perquamexilibus hinc inde ſine lege ductis, qui tamen omnes proficiſcuntur a cute ſubjectâ, ejuſque minimis papillulis. Deſcribitur cuticula.

Utut cuticulam incidas, ſive laceres, aut diſcerpas, neque ſanguinis quicquam, neque ſeri, neque lymphæ, aut alterius cujuſque humoris, quantùm ſenſibus aſſequimur, exudat ex illius ſciſſuris. Concludendum igitur, cuticulam, aut tubulis prorſus carere, quod tamen ex meâ ſententiâ fieri minimè poteſt, aut canaliculos adeo eſſe in eâ exiles, ut viſum fugiant omnino. Idque fermè longè probabiliùs exiſtimamus. Opinio probabilis de cuticulæ nutritione.

Munus cuticulæ præcipuum eſt, ut cutem ſubjectam tegat, eamque defendat ab injuriis exterioribus. Iccirco longè craſſior exiſtit ſub plantâ pedis, ne ambulando, ſive ſaltando, cutis ibi lædatur. Temperat præterea ſenſum cutis, qui ſecus permoleſtus eliceretur ſemper. Quinimmo, & apud nonnullos Recentiores, ſtipat quoque vaſorum oſcula, quæ ad faciem cutis exteriorem aperiuntur, ne citra menſuram in tranſpiratione fiat minimorum diſpendium. Quid ſit cuticulæ munus.

CAPUT IX.

De Cute.

DeſcribiturCutis.

CUticulâ ablatâ, nudam ſeſe perhibet aſpectui cutis. Hæc *Dermis* dicitur a Græcis. Subjectis partibus firmiter adhæreſcit, in fronte potiſſimùm, volâ manus, plantâque pedis. Ex pectore tamen, ac brachiis facilè avellitur. Craſſior longè undequaque deprehenditur, quàm cuticula, magiſque denſa. Non æquè tamen ubique locorum; ſiquidem tenujorem, magiſque raram eam offendimus in pene, & ſcroto. Craſſiorem, denſioremque ſub plantâ pedum, necnon & in collo. In capite plerumque denſiſſimam, craſſiſſimamque. Alba utplurimum eſt facies illius exterior, variis licèt quandoque ſuffundatur fluidorum coloribus, quibus ipſa irrigatur. Interior contra cruenta ferè ſemper deprehenditur ob ſanguiferorum copiam, quæ per eam dirimuntur.

Deſcribuntur organa præcipua, quibus cõponitur cutis.

Cutis pars eſt humani corporis prorſus diſſimilaris, atque organica. Quinimmo habetur, neque injuriâ, veluti organum præcipuum, quod variis, ac penè innumeris compingitur organis; per eam quippe nonmodò diſtribuuntur arteriæ, venæ, ac nervi, vaſcula lymphatica, & fibræ plurimæ, quæ undequaque producuntur per ejus ſubſtantiam, tum interiorem, tum exteriorem; verùm etiam habet quoque papillulas, glandulas minimas rotundas, ſive miliares, pilorumque radices. Enimverò cutis univerſa nihil aliud videtur, quàm tomentoſum aggregatum ex innumeris penè fibris carnoſis, æquè ac tendinoſis, hinc inde, rectâ, item & obliquè ſine lege excurrentibus, quæ in rugas contrahunt ejus faciem exteriorem. Inter fibras

bras quamplurimæ inſeruntur ſanguiferorum propagines capillares, quarum ope irrigat ſanguis cutem univerſam. Adſunt quoque innumeræ nervorum tenuiſſimæ productiones, quæ mutuò ita ſibi nectuntur, coeuntque, ut plurimas efficiant papillulas pyramidales, quæ undequaque conſurgunt ex rugis cutis exterioribus ſupernis per ordines parallelos versùs cuticulam, quam in minimas propterea attollunt vaginulas; ac in vaginulis iterum in fibrulas ſeſe explicantes, ſive, ut ita dicam, effundentes, per ipſam poſtmodum cuticulæ ſubſtantiam planè delentur. Papillulæ præfatæ creberrimè, ſtructuræque eximioris occurrunt ad digitorum apices, quibus potiſſimùm percipimus, ſive elicimus ex objectis ſenſibilibus ſenſum tactus; quod ſanè anſam dedit, ut eas exiſtimaverint Recentiores præcipua tactus organa.

Quid ſint rete cutis nervoſum, ac in eâ valvulæ Recentiorum.

Per faciem præterea cutis exteriorem, microſcopii interventu, deteguntur nervorum fibræ quædam perquamexiles, quæ mirum in modum contexuntur, rete quoddam nervoſum formantes, cujus foraminulis, veluti colligatæ detinentur papillulæ præfatæ pyramidales, pili, & vaſcula quædam minima excretoria, quæ originem ducunt a glandulis miliaribus, cuti ſubjectis, ſitis videlicet in facie cutis infernâ, quâ cutis membranam tangit adipoſam. Ad oſcula vaſorum iſtorum apponuntur valvulæ minimæ, cucurbitularum adinſtar convexæ; quæ apud Recentiores nonnullos ita inſtructæ, ac poſitæ ſunt, ut effluviis expirandis ſolummodo exitum pandant ab interioribus ad exteriora.

Quid ſint pilorum radices.

Pilorum radices ſub cute exiſtunt, ideſt in eâdem facie cutis infernâ, tanquam globuli mucoſi, quorum ſinguli a glandulis miliaribus minimam nanciſcuntur propaginem capillarem, arterioſam, venoſam, ac nervoſam pro uſu, de quo inferiùs, ubi de pilis, & crinibus ex profeſſo acturi.

Cu-

Quid sit cutis munus præcipuum.

Cutis, tanquam universale humani corporis integumentum, corpus organicum vivens ubique defendit, ejusque superficiem nitidam, venustamque facit. Tanquam diversorum organorum aggregatum per papillas, utì admodum probabile est, ex corporibus sensibilibus sensus elicit tactus. Per glandulas, & vascula excretoria humores incongruos, sive effœtos cribrat, atque emittit;qui si guttatim decidant sudorem pariunt; hoc est diaphoresin, sive expirationem sensibilem; sin autem per spiracula cutis in auram evanescant prorsus insensibilem, tum ea fit corporis humani expiratio, quæ dicitur insensibilis. Cutis rursus est veluti solum, in quo pili, & ungues educantur, extuberant, germinantque.

CAPUT X.

De Pilis, & Unguibus.

Quid sint pili, & ungues.

INter partes corporis humani enumerari haud solent pili, & ungues, a Veteribus præsertim, qui ea existimare consueverunt, tanquam recrementa. An id tamen jure, an injuriâ affirmaverint Majores, ex infra dicendis palam facturi sumus. Duplicis generis deprehenduntur pili; alii enim cum fœtu nascuntur, utì crines, supercilia, ac palpebrarum pili. Alii succrescunt adultis, utì ex mento, sub axillis, atque in pube; maribus nimirum, ubi semine scatere incipiunt, fœminis cum menstruare, utrisque nempe in pubertate. Non tamen ex mento fœminis, eoquòd per menses, ni fallor, succus egeratur pilis in mento alendis idoneus.

Describuntur singulæ pilorum partes.

Pilorum omnium figura, nobis, quanvis nudis oculis, oblonga vel teres videatur, si microscopium iis tamen accuratè aptabis, eorum nonnullos observabis trian-

triangulares, item & quadratos. Quinimmo ex pilorum ſuperficie universâ extuberat lanugo quædam denſiſſima, plurium adinſtar minimorum ramuſculorum. Pilorum ſubſtantia innumeris penè compingitur tubulis perquamexilibus, ita mutuò innexis, ut concinnam quandam referant fiſtulæ ſpeciem, quæ apud nonnullos materiâ quadam tenuiſſimâ medullari, oſſium adinſtar, repletur. Intimè ſubeunt cutem, in quâ minimos quoſdam offendunt calices ovales, qui pilorum excipiunt ſingulas radices, mucoſos videlicet lobulos quoſdam, ex quibus, veluti ex totidem bulbis ſuis peculiaribus fruticantes, enaſcuntur crines, & pili, per ſpiracula cutis, item & cuticulæ.

Bulbis ſingulis minima apponitur glandula, a quâ pilorum ſubſtantia nanciſcitur propaginem perquamtenuem, arterioſam, venoſam, nervoſamque. Vaſcula hæc pilis alendis inſervire procul dubio autumarem, niſi in cadaveribus quoque ſuccreſcerent, licèt in iis omnino ceſſaverit ſanguinis motus circularis. Deſcribuntur vaſa, quæ inſeruntur in pilorum radices.

Pilorum uſus ad ornatum corporis humani viventis nonmodò conducit, verùm etiam ab organis ſaltem exterioribus ejuſdem corporis humani plura arcent incommoda, ut ſuo loco fuſiùs dicendum. Pilorum uſus.

Digitis extremis, tum in manibus, tum in pedibus emergunt, atque aptantur ungues; qui penes Anatomicos tres habere ſolent partes. *Radicem*. *Partem intermediam*. *Partem extremam*. Unguium radix appellatur pars inferior alba, carni adhærens, eique quodammodo infixa. Hanc ſubſequitur pars intermedia, quæ in benevalentibus roſea utplurimum deprehenditur. Parti unguium intermediæ ſuccedit unguis extremus, qui niſi crebrò reſecetùr, aduncus fieri ſolet. Diſtribuuntur ungues in ſuas partes

Unguium ſubſtantia indolens eſt, pellucida, & nonnihil craſſa. Duplici compingitur lamellâ. Exterior Quid ſit unguiũ ſubſtantia.

terior levis. Interior aſpera, ut carni meliùs adhæreſcat. Ungues, non ſecus ac pili, pluribus conſtant tubulis oblongis, atque tranſverſis, quod nonnullis anſa fuit, ut ungues haberent veluti pilos adinvicem compactos, concretos, digitiſque extremis induratos.

Unguium uſus.

Unguium ſubſtantiam ali certò conſtat per radicem ſuam; quocirca unguium maculæ magis magiſque recedunt a radice, prout magis magiſque in dies eorum increſcat ſubſtantia. Peculiares uſus, præter exteriorem ornatum, præſtare valent ungues in corpore humano. Firmant quippe digitorum apices, eoſque tutantur. Corporibus præterea minimis commodè arripiendis, comprehendendiſque apprimè conducunt.

Quo pacto nutriantur pili, & ungues.

Quod quum ita ſe habeat, habendi nequaquam ſunt, neque pili, neque ungues, veluti partes corporis humani effœtæ, quæ ſuccreſcunt per extrinſecam appoſitionem partis ad partem, quum concludendum potiùs videatur, eorum ſubſtantiam ſuccreſcere, & ali per *introſuſceptionem* humoris cujuſdam tenuiſſimi; qui, a glandulis ſubjectis, pilorum ſubeat, unguiumque radices, ut poſtmodum effundatur in eorum univerſam alimoniam. Id confirmatur quoque ex plicâ Polonum morboſâ, in quâ carnoſi quodammodo fiunt; & reſecti cruorem exudant uberrimum, necnon etiam dolorem inferunt peracutum.

CAPUT XI.

De Panniculo adipoſo, & carnoſo.

Deſcribitur ſitus in corpore humano panniculi adipoſi.

SUb cute proximè aliud offendimus in corpore humano tegumentum, quod *panniculus* dicitur *adipoſus*, ſive *membrana adipoſa*. Ubique locorum ſub cute depre-

prehenditur adeps, præterquam in labiis, palpebris, fronte, auribus ſupernis, pene, ac ſcroto, ne motui forſan officiat partium iſtarum, in quibus mobilia ſunt reliqua tegumenta, & præcipuè cutis, quæ muſculorum ibi vices exequitur.

Craſſus præ cæteris eſt, in parte præſertim anteriori imi ventris. Ejus color, niſi morboſè inficiatur, plerùmque ſeſe perhibet album. Panniculi adipoſi ſubſtantia, purus adeps, ſive ſevum concretum hactenus a Veteribus habita fuit, licèt non ſit profectò, niſi plurium congeries ſacculorum, ſive loculorum, qui adipem excipiunt exudantem, neſcio, an a glandulis minimis, quæ ſub aſpectum minimè cadunt, hinc inde per loculos ſparſim ſitis; an potiùs ex ſpiraculis ſanguiferorum, quibus irrigantur loculorum parietes. Loculi iſti adipoſi ſuperimponuntur adinvicem. Hinc cumuli quidam adipoſi, qui acervatim adhæreſcunt membranæ craſſiori univerſali, tanquam fulcimento communi. Per ſubſtantiam adipoſam dirimuntur ſanguiferorum ſtamina tenuiſſima, quæ retis in modum contexuntur, atque implicantur, explicanturque ad faciem loculorum præſertim exteriorem, in quâ æmulari ſolent tenue veluti omentum. Inter ea filamenta excurrunt quoque ductus nonnulli adipoſi, qui in viventibus, datâ operâ ſaginatis, & recèns interfectis, plurimùm intumeſcunt.

Deſcribitur adipis ſubſtantia.

Panniculus adipoſus uſum hunc præſtare videtur in corpore humano, ut exuberantem a maſsâ ſanguinis adipem loculis ſuis excipiat, exceptum ſervet lubricandis, emolliendiſque muſculis ſubjectis, ne eorum fibræ motrices præ nimio niſu areſiant. Ad corporis humani venuſtatem plurimùm confert. Nimium itidem minimorum compeſcit effluvium a partibus, viſceribuſque ſubjectis. Alii præterea opinantur, neque perperam planè, pinguedinem in loculis fuſam, vel per

Uſus panniculi adipoſi.

venas, vel per alias adhuc nobis occultas vias, ad sanguinem identidem remeare, ne is, vel per inediam, vel per maximos nisus, vel per diuturnum fluidorum fervorem, balsaminis, atque, ut ita dicam, butyraceis evaporatis, absumptisque particulis, acris fiat nimis, & mordicans.

Describitur situs panniculi carnosi.

Panniculo adiposo, faciei nimirum exteriori, adeo firmiter adhærescit membrana carnosa, quartum scilicet humani corporis integumentum, ut avelli vix queat, nisi eorum mutuò discerpatur substantia. Quibusdam in locis proximè adnectitur cuti; iis nimirum, in quibus adeps desideratur. Tenuissima est, fibrosa, sensus non expers peracuti. Inter fibras excipit cujuslibet generis vascula, quæ a partibus sibi comparat proximis.

Usus panniculi carnosi.

Musculis a pinguedine secludendis inservire potissimùm existimant Anatomici, iisque vestiendis, firmandisque; quinimmo & iis in locis, in quibus præ cæteris fibrosa deprehenditur, musculorum vices exequitur cuti, cui adnectitur, contrahendæ.

CAPUT XII.

De Ossibus in genere, Cartilaginibus, & Ligamentis.

Quid sint Ossa.

TEgminibus exuto, ac penè decoriato corpore humano, caro undequaque detegitur nuda. Musculis hæc ubique compingitur, quorum beneficio moventur artus, ac reliqua corporis membra, præsertim exteriora. Ex musculis fibrulæ insurgunt perquamexiles, quæ passim ubique ita conveniunt per faciem carnis exteriorem, ut tenuissimam, pellucidamque contexant membranam cæruleam undequaque superficietenus carni humanæ superextensam. Sub musculis sese perhibent ossa,

offa, præterquam in facie imi ventris anteriori, ubi offium loco peritonæum offendimus. Offa funt partes corporis humani fimilares, albæ, duriffimæ. Bafis præcipuè, & fulcimentum reliquarum partium, quæ utpote molliores funt, confiftere fine offibus nequirent. Non omnia tamen ejufdem funt generis offa; alia quippe duriffima, utì obfervamus in Tibiâ; alia minùs dura, utì in Vertebris; alia adhuc molliora, magifque fpongiofa, utì in Sterno &c. Differunt quoque ratione molis, item & figuræ exterioris, utì deinceps de offibus fingulis agentes, fingillatim exponendum erit.

Quid fint periofteum, & pericranium.

Tenuiffimâ foris obducuntur membranulâ, quæ offium fubftantiæ exteriori arctiffimè ita adhærefcit, ut avelli vix queat. Nuncupatur *periofteum*, præterquam in cranio, in quo *pericranii* nomen fibi vindicat. Contexitur arteriolis, venulis, ac nervulis penè innumeris, ex quibus fenfum fibi comparat peracutum. Enim verò offium fubftantia minimè eft fenfitiva, fed fenfus, & dolor provenit in offibus, a fibris nervofis in periofteo diftractis. Quocirca dentes eâ parte, quâ periofteo carent, quanvis ruditer pungantur, infringanturque, fenfus omnino expertes obfervamus.

Quid fit offium medulla.

Offa intus utplurimum deprehenduntur cava, fuoque cavo fubftantiam continent unctuofam, tenuem, ac luridam, quæ vocatur *medulla*. Offium medulla minimis componitur tubulis fanguiferis, qui per parietes offium pervios producuntur ab arteriis, & venis perioftei in offium cavum; ubi ita conveniunt, atque implicantur, ut per fubftantiam medullæ veficulas ubique conftituant minimas, quæ fevum excipiunt exudans, ni fallor, ex fpiraculis tubulorum fanguiferorum. Sevum id oblinire nonmodò folet faciem offium interiorem; verùm etiam intimè fubire offium fubftantiam, ne in motu arefiant, & facilè infringantur. Offa

non

non omnia cava ſunt, ea tamen, quæ cavum non habent, ſunt intus ſpongioſa, neque aliud continent, niſi ſevum medullare. Id maximè obſervamus in oſſibus calcanei. Oſſa nonnulla pluribus quoque foraminulis, cribrorum adinſtar, pervia ſunt; quibus excipiunt, ſive carnem, ſive aliam ſubſtantiam diverſi generis, quod præſertim deprehenditur in oſſibus naſi cribriformibus.

Oſſium numerus.

Oſſium numerus in omnibus non ſemper idem, neque ſemper idem in qualibet ætate; longè enim pluribus gaudent pueri, quàm adulti, in quibus oſſa diverſa per ætatem paulatim coaleſcunt in unum. In univerſis tamen, dummodo corpus habeant probè conſtitutum, enumerare conſueverunt Anatomici ultra 300.

Quid ſit oſſium articulatio.

Diù ſtare nequaquam poſſent in corpore humano vivente, & præſertim cum validè ſeſe in organis exerceant, tum quum maximè vel currendo, vel ſaltando, vel ludendo, membra hinc inde variè exagitamus, niſi mutuò innecterentur. Hinc profectò varii conſurgunt oſſium nexus, quibus nomina varia Scriptoribus imponere placuit. Nihilominus quævis oſſium connexio dicitur *Articulatio*. Articulatio diſtinguitur in *articulationem propriè dictam*, & *ſimplicem concretionem*. Articulatio propriè dicta eſt oſſium connexio cum motu: ea videlicet, in quâ oſſa licèt connexa, ſeorſim moveri queunt. Quapropter articulatio propriè dicitur ea connexio, quâ oſſa cubiti humero nectuntur; eoquòd moveri, & flecti poſſit cubitus, quin moveatur humerus.

Varia articulationis genera.

Concretio eſt, quum oſſa connexa ſeorſim moveri nequeunt. Ita dentes innectuntur cum alveolis maxillarum. Triplicis generis habetur concretio: *Sutura*: *Coagmentatio*, ſive *Harmonia*: *Claviculatio*. Nuncupatur ſutura, quâ oſſa concreta, quaſi conſuta videntur.

Ic-

Iccirco per suturam concrescunt ossa cranii, in quo potissimùm oculis obversantur *coronalis*, *lambdoides*, *sagittalis*. Coronalis, coronæ adinstar per anteriorem reclinatur capitis regionem, idest per sinciput. Huic directè apponitur in occipite, in regione capitis videlicet posteriori, lambdoides, ibique literam græcam *lambda* æmulari solet. Inter coronalem, & lambdoidem producitur sagittalis, quæ a vertice coronalis per mediam calvariam rectà tendit ad verticem lambdoides, ideoque findit calvariam in duplicem sectionem lateralem. Suturæ præfatæ, quæ dentibus visibilibus mutuò sese comprehendunt, dicuntur *legitimæ*, seu *veræ*. Alias contra, in quibus locus unionis non est adeo visibilis, vocamus *mendosas*, sive *spurias*.

Coagmentationem, sive harmoniam, eam dicimus connexionem, quà ossa sese mutuò injungendo, adamussim ita sese contingunt, ut lineam quasi simplicem in loco unionis designent, non secus ac præstant ossa maxillæ superioris, quæ per coagmentationem uniuntur. Quid sit coagmentatio.

Claviculatio, sive gomphosis est, quum os alterum alteri tanquam clavus infigitur, quemadmodum dentes utrique infiguntur maxillæ. Articulatio vera, quæ *Arthron* Græcis appellari consuevit, modò fieri dicitur per *diarthrosin*, modò per *enarthrosin*, modò per *arthrodiam*, modò per *ginglymon* &c.; quæ ex græcâ etymologiâ nihil aliud sonant, nisi *articulationem laxam*, *articulationem strictam*, *superficialem*, *profundam &c*; quibus tamen, ne Tyronum mentem intempestivè defatigemus, non est cur diutiùs immoremur. Quid sit Gomphosis, Arthron, Arthrodia &c.

Præterea ossium connexio, sive arthron sit, nimirum vera articulatio, sive sit concretio, quibusdam in locis fit per ossa connexa, nullâ videlicet aliâ intercedente substantiâ. Quibusdam in aliis eam fieri observamus interventu alterius substantiæ, quæ propterea, Aliæ articulationis species.

quia

quia cartilaginea quandoque eſt, quandoque ligamentoſa, quandoque carnoſa, factum eſt, ut oſſium articulationes in tres alias diſtribuantur ſpecies: videlicet in *Syſſarcoſin, Synneuroſin, Synchondroſin*. Syſſarcoſis dicitur, ubi ſubſtantia intermedia eſt carnoſa. Synneuroſis, ubi eſt ligamentoſa. Synchondroſis, ubi cartilaginea.

Quid ſint cartilagines.

Cartilagines ejuſdem fermè cum oſſibus ſtructuræ videntur. Quinimmo, & ipſæ temporis proceſſu in oſſa conſolidantur. Ab oſſibus differunt tantùm, quia conſiſtentiam molliorem habent. Cæterùm cum oſſibus omnino conveniunt, iiſque utplurimum conſociantur. Plurimùm diſcrepant inter ſe, tum figurâ exteriori, tum mole. Cavæ nequaquam ſunt, ideoque medullâ carent. Medullæ tamen vices gerit in cartilaginibus mucor quidam tenuis, oleaceus; quo, ut faciliùs inflectantur, tum foris, tum intus obliniuntur.

Quid ſint ligamenta.

Oſſa, & cartilagines, ut ſitum, nexumque ſuum, vel ad niſum validè ſervare valeant in articulis, muſculis nonmodò, tendinibuſque firmantur, verùm etiam ligamentis, quorum figura, item & moles admodum varia deprehenditur. Subſtantiam, poſt cartilaginem, duriſſimam habent, plerùmque albicantem, ſenſus omnino expertem, non ſecus ac oſſa, & cartilagines, ne incedendo organa cum dolore moveamus. Alios uſus non præſtare videntur in eodem corpore humano, niſi quod tanquam funes membra in eo ligent, & firment, oſſaque imprimis, ne luxentur. Quibuſdam in locis ſeſe perhibent teretia; quibuſdam in aliis in latitudinem explicantur. Id ſanè prout exigit munus, cui inſervire debent. Ligamenta, quæ figuram teretem habent, nuncupantur *nervoſa*; quæ lata ſunt, *membranoſa*. De ligamentis, utì ex pluribus extat obſervationibus, id potiſſimùm adnotandum occurrit, quod in ſe-

ſenibus ita concreſcere, atque obdurari ſolent, ut conſiſtentiam ſibi vindicent cartilagineam, item et oſſeam, utì ex pluribus habemus obſervationibus.

Quid ſint oſſium apophyſes, & epiphyſes

Ut commodè injungantur oſſa, & cartilagines; ut in articulis detineantur; ut per ligamenta firmentur; atque ut commodè per muſculos moveantur, ſuas habent *apophyſes*, atque *epiphyſes*: proceſſus nimirum, atque appendices. Apophyſes dicuntur eminentiæ quædam, quæ oſſibus, & cartilaginibus, extrinſecùs quaſi continuatæ, adnaſcuntur. Si tantummodo contiguæ ſint, ac veluti ſimplices appendices extuberent, nuncupantur epiphyſes.

Quid ſit oſſium ſynovia.

Ut facilior ſit oſſium motus, jugiter exudat in articulis uligo quædam tenuis, unctuoſa, *ſynoviæ* perſimilis. Penes nonnullos provenit a minimis glandulis hinc inde ſparſim ſitis per ligamenta membranoſa, quæ oſſium adhæreſcunt articulis. Humor is, utì opinor, acris quandoque fit, & iccirco fibras perioſtei acriter mordicans, eaſque diſtrahens, ſive convellens, dolores in podagrâ perquamacutos procreare valet. Quinimmo non ſine probabili conjecturâ inferre poſſumus, nodos, ac tophos in articulis podagrâ affectis, præfatam eſſe ſynoviam arefactam, ibique concretam; deficientibus enim, abſumptiſque particulis tenujoribus, volatilioribuſque, craſſiores ſubſidunt, magis magiſque uniuntur, concreſcunt, atque indurantur.

Oſſium munera præcipua

Oſſium munera alia videntur univerſalia, alia peculiaria. Univerſalia ſunt, ut membra ſubſtineant, eaque in motu dirigant. Peculiaria ſunt, ut in cavis quibuſdam peculiaribus parietes conſtruant, eoſque fulciant; ut cibos in ore comminuant; ut ſenſationes ad auditum ſpectantes, in auribus interioribus, modulentur &c.

Quomodo nutriantur oſſa.

At de oſſibus id in genere animadvertendum ſupereſt, quod

quod fracta iterum coalescunt callo quodam, qui *poros* dicitur. Insudat enim ex fibris ossium fractis humor pellucidus, tenuis, oleaceus, &,ut ita dicam, pultaceus; qui colligitur in extremis fractis, ubi concrescit glutinis adinstar, & callum præfatum inducit. Ex quo concludendum videtur, præfatum humorem ita exudantem, succum esse ossium alibilem; qui sive proximè, sivè remotè provenit a sanguine per arterias, vel medullæ, vel periostei, vel tendinum musculorum, qui absumuntur, & quodammodo delentur per ossium substantiam. Succus enim præfatus alibilis necesse est, ut a sanguine secretus, fibras ossium ingrediatur componentes, perque eas in gyrum moveatur, atque in alimoniam aptetur &c.

CAPUT XIII.

De Sceleto, ejusque ossibus componentibus.

Quid sit sceletum.

OSsa carne prorsus exuta, quum situm, nexumque suum sibi servent naturalem in corpore humano, *Sceletum*, *Sceleton*, sive *Sckeleton* constituunt. Voces, quæ ex etymologiâ a Græcis nihil aliud significant, quàm *exiccatum*, sive *arefactum*. Sceletum bipartiuntur Anatomici in truncum, & artus. Truncus in ossa capitis, & reliqui trunci. Ossa capitis cranium alia compingunt, capitis videlicet cavum, qui cerebrum condit. Alia compingunt maxillas.

Enumerantur ossa cranij propria.

Cranio ossa octo adscribere consueverunt plerique Anatomici. Unum videlicet fronti, quod in pluribus, & in pueris præsertim, dividitur cartilagine intermediâ. Cartilago, puero increscente, ossea tandem evadit. Hinc ex ossibus duobus unum duntaxat consurgit. Duo sincipiti, quæ nuncupantur ossa *Bregmatis*.

Unum

Unum occipiti. Temporibus duo, quæ ossa infernè constituunt *petrosa*. Ossa petrosa triplicem emittunt processum, sive apophysem exteriorem: *Jugalem*, sive *Zygomaticum*: *Mammillarem*: *Styliformem*. Alterum processum, sive apophysem emittunt ossa petrosa interiorem, quæ propriè dicitur *os petrosum*, quum durissima sit.

Describuntur processus ossis cranij.

Processus jugalis orbitæ oculorum formandæ inferiori sub oculis extuberat. Mammillaris occurrit posteriùs. Brevis est, atque obtusus, a figurâ suâ extrinsecâ mammillaris dictus. Styliformis in formam styli gracilis, oblongus, atque acutus perducitur non procul a mammillari, paulò tamen anteriùs. Non apophysis reverà est, sed potiùs epiphysis. Processus petrosus durissimus intus producitur versùs ossa palati. Cavus est, suoque cavo organum continet auditus præcipuum. Idest *labyrinthum*, *cochleam*, atque *ossicula quatuor*, inferiùs, ubi de auribus ex professo, describenda.

Describuntur ossa cranij communia.

Ossa cranii præfata, quæ, utì monuimus, numero sex sunt, dicuntur *propria*. Reliqua duo dicuntur *communia*, eoquòd ad maxillam superiorem quoque spectent. Alterum *basilare* est. Alterum *cribriforme*. Basilare dicitur, quum tanquam basis cranio substernatur. A figurâ nuncupatur etiam *cunei orme*, sive *sphenoides*. A situ vulgò dicitur *os palati*. Processus emittit utrinque *aliformes*. Ex medio sphenoide, ad cerebri basin alii consurgunt processus minimi, qui *sellam equinam* æmulari solent.

Describitur os cribriforme.

Cribriforme situm est in frontis confinio ad nasi principium, foraminibus ubique perruptum; ac propterea *spongiosum*, sive *ethmoides* etiam nuncupatur. E medio cribriforme intus erigitur in eodem cranii cavo *cristagalli*, alius scilicet processus squamosus, qui figurâ suâ galli cristam quodammodo mentitur.

Describuntur ossa maxillarum

Maxillarum altera superior, altera inferior. Superior immobilis. Undecim utplurimum habet ossa. Duo tantùm habet inferior, quæ mobilis est: idque in pueris, quum adeo firmiter adinvicem in adultis coalescant, ut vix ullum in mento sese objiciat unionis indicium.

Describuntur bini processus maxillæ inferioris.

Ex maxillâ inferiori duo utrinque consurgunt processus, qui *cornua* nuncupantur. Anterior acutus *corone*. Posterior obtusus, necnon etiam aliquantulum globosus, *condylodes*. Ad corone in apice affigitur cauda musculi temporalis. Condylodes, cartilagine intermediâ, sese immittit in sinum ossium temporalium, quibus immittitur maxilla inferior. Maxillæ alveolis ubique excavantur, quibus radices excipiunt dentium.

CAPUT XIV.

De Dentibus.

Quid sint dentes.

MAxillis, uti notum est, insiguntur dentes; qui sunt officula præ cæteris durissima, variæ molis, variæque figuræ, ad oris confinia cibis validè infringendis, comminuendisque, vocique immoderatè profusæ appositè coercendæ potissimùm instructa. Per gomphosin maxillis insiguntur, in quibus, membranis gingivarum intercedentibus, item & pluribus perquamexilibus ligamentis, firmantur. Dentium alveoli membranâ quadam tenuissimâ, maximè nervosâ, sensuque præditâ acutissimo intus obducuntur, quæ, ratione dentium, periostei vicem in radicibus gerit. Hinc sanè stupor quandoque, ac dolor acerrimus; qui dentibus licèt inesse videatur, non est reverà dentium, quorum substantia, non secus ac reliquorum ossium, sensus omnino expers est; verùm provenit a læsione membranæ istius

iſtius interioris, necnon et quandoque minimæ propaginis nervoſæ quintæ conjugationis; quæ, ut mox dicendum, dentium ſubit radices.

Enumerantur dentes.

Dentium numerus variat. Non infra tamen in benè dentatis 28., nec ultra 32. enumerari ſolent. Alii dicuntur ſuperiores, inferiores alii a ſitu. Tum ſuperiores, tum inferiores in tres diſtribuuntur claſſes. Alii quippe ſunt *Inciſores*, alii *Canini*, *Molares* alii. Octo utplurimùm inciſores, quatuor ſcilicet anteriùs supernè, totidemque anteriùs infernè. Latiuſculi ſunt, & incidentes, atque adeo cibis in ore infringendis, plurimùm accommodati. Inciſoribus utrinque ſuccedunt canini, oblongi, teretes, acuti, ut cibos meliùs comprehendant. Numero quatuor ſunt, bini ſuperiores, *Oculares* vocantur; eorum quippe radices versùs oculos aſcendunt. Dentes reliquos molares nuncupamus, ſive maximos. Poſteriores ſunt, maximi, latiuſculi, & aſperi, ut cibos ruditer per alios dentes jam confractos, magis magiſque conficiant, comminuant, & parvæ veluti moles extenuent.

Quid ſit dentium radix.

Pars dentium interior, quæ maxillis conditur, *radix* dicitur. Quapropter unâ tantùm radice maxillis implantari dentes inciſores obſervamus. Duplici caninos. Quadruplici molares. Ad radicem ſibi dentes immittunt propaginem capillarem arterioſam, venoſam, ac nervoſam perquamexilem, & vix ſenſibilem a ramis gingivarum proximis, ex quibus alimoniam ſibi comparant.

Quare, & quomodo erumpant dentes.

Menſibus aliquot a nativitate apparere incipiunt dentes. Antea quippe in alveolis deliteſcebant ſuis ſub formâ mucoris craſſiuſculi albicantis; qui ſenſim concreſcit, induratur, atque augetur. Non omnes æquè uno eodemque tempore erumpunt, ne membranas obvolventes undequaque per gingivas ſcindendo, ef-

fe-

fectus permoleftos, & peffima in dentitione inferant fymptomata. Hinc alios alii infequuntur ad annum ufque duodecimum, decimum quartum, & vigefimum, necnon et in aliquibus ad trigefimum. Incifores primùm, & canini; eoquòd, utpote acutiores, faciliùs, & citiùs membranas difrumpendo, faciliorem fibi exitum pandant. Molares noviffimi, qui propterea *Sapientiæ* nuncupantur. Non procul ab anno feptimo excidere incipiunt dentes ad annum ufque nonum, decimum, aliquando undecimum; aliis fuccedentibus, qui non fecus ac priores fub alveolis latitabant. Hi quippe increfcendo, alios paulatim, & fenfim propellunt, donec vafculis avulfis, & retrocedentibus a radicibus gingivarum membranis nutare, & vacillare incipiunt, atque excidere.

In quibus dentes ab aliis differunt offibus.

In eo potiffimùm ab aliis offibus differunt dentes, quòd dentes continuè crefcunt ad extremum ufque fenium; fecùs enim ob mutuam, diuturnamque attritionem, mafticando, citò forent contriti; quo fit, ut altero dente elapfo, alter quandoque oppofitus in alterâ maxillâ brevì longior ad exceffum evadat.

Quare fenefcentibus excidunt dentes. Eorumque ufus.

Quum fenefcimus, excidere folent dentes; eoquòd, humoribus per ætatem concretis, atque obftructis dentium tubulis, ali impofterum non ampliùs valeant. Quocirca exiccantur radices, recedunt gingivæ, dentefque vacillant. Dentium ufus eft ad ornatum, ad ciborum contritionem, ad vocis commodam articulationem, emiffionemque. Inter offa capitis enumerare quoque nonnullis placuit os *Hyoides*, five *Bicorne*, five *Ypfiloides*, quòd ita dicitur, quia literam Y referre quodammodo folet. De hoc tamen fusè deinceps, ubi de linguâ, cui potiffimùm aptatur, atque infervit.

CA-

CAPUT XV.

Enumerantur ossa reliqui Trunci.

TRuncum sub cranio Sceleti humani compingunt *Spina*, quæ vertebris construitur, *Sternum*, *Costæ*, *Claviculæ*, *Scapulæ*, atque *Ossa iliaca*. Triginta sunt officula, quibus componitur Spina, quæ a vertendo *Vertebræ* nuncupantur, quum per vertebras hinc inde vertatur corpus humanum vivens, erigatur, inflectatur, &, ut ita dicam, intorqueatur. Distribuuntur vertebræ ab Anatomicis in *cervicales*, *dorsales*, *lumbares*, & *sacras*. Cervici octo adscribunt vertebras, quarum prima *Atlantica* dicitur. Duodecim adscribunt dorso. Lumbis quinque. Quinque ossi sacro, cujus extremitas acuminata intus nonnihil incurva, vocatur *Os coccygis*. Plures habent processus vertebræ, quibus invicem innectuntur, & musculorum tendines excipiunt. Plura quoque habent foraminula, & præsertim lateralia, quibus utrinque nervis exitum præbent. Cavæ sunt intus; ideoque, sibi mutuò injunctæ, fistulam compingunt longissimam, tanquam medullâ repletam substantiâ cerebri productâ, de quâ suo loco fusiùs. Quid sint Vertebræ, earumque distributio.

Vertebris dorsalibus opponitur anteriùs in thorace *Sternum*, os videlicet fungosum, quasi semicartilagineum, maximè in pueris, quod producitur per faciem mediam thoracis anteriorem a jugulo ad scrobiculum usque cordis. Ossibus octo constat in pueris ad annum circiter septimum. Ossa ista innectuntur cartilaginibus intercedentibus, quæ temporis processu ita concrescunt, ut unum duntaxat, veluti os continuatum, in senibus præsertim, efficiant. Sinus habet ster- Quid sit sternum, ejusque cartilago mucronata.

ſternum utrinque duos exteriores in parte ſupernâ ad jugulum, quibus ex utroque latere excipit, & claviculæ caput, & coſtam ſupernam cartilagineam extremam. Sub finem ſterni aptatur, ſive potiùs producitur cartilago quædam mucronata; quæ propterea *enſiformis* nuncupatur. Quinimmo, quia non ſemel ſeſe perhibet bifurcatam, vulgo dicitur *forcilla*.

Quid ſint coſtæ.

Coſtæ, Græcis *pleuræ*, producuntur, ſive potiùs inflectuntur in arcus a vertebris dorſalibus uſque ad ſternum. Ante tamen quàm ſterno injungantur, cartilagineæ prorſus evadunt. Duodecim utrinque ſunt. Septem ſuperiores, quæ ſternum proximè attingunt, dicuntur *veræ*, ſive *legitimæ*. Inferiores dicuntur *ſpuriæ*, ſive *mendoſæ*, eoquòd in extremitatem abeant cartilagineam, quæ ſurſum recurvatur, ac coſtis ſuperioribus adjuvantibus, non proximè, ſed remotè, ſterno adnectantur.

Quid ſint claviculæ.

Claviculæ utrinque occurrunt ſub imo collo in pectore ſummo tranſversùm, ubi literam ∽ inclinatam in utroque latere quodammodo referunt. A ſcapulis ad ſternum producuntur; neque aliâ de causâ clavicularum nomine inſigniuntur, niſi quòd, veluti clavi, ſterno ſcapulas firment. Earum ſubſtantia fungoſa eſt; iccirco, quemadmodum facilè infringi, ita rurſus propediem coaleſcere ſolent.

Quid ſint ſcapulæ.

Scapulæ, Græcis *Homoplatæ*, ſunt oſſa quædam lata, figuræ triangularis, quæ veluti ſcuta utrinque aptantur extrinſecùs coſtis ſuperioribus in dorſo ſummo. Tres conſpicuos habent proceſſus; quorum unus latiuſculus,& nonnihil ſub finem cavus, ſuoque cavo claviculam excipiens extremam,angulum conficit ad humeri caput, qui dicitur *Acromium*, *humeri mucro*, *ſummus humerus*. Alter minor inferior, atque acutus, a roſtri, ſive anchoræ figurâ, *Anchoroides*, ſive *coracoides*.

Ter-

Tertius brevissimus nominatur *cervix*, cujus extremitas in sinum aptatur exteriorem, quo humeri caput excipit. Quinimmo, ne levi de causâ excidat humerus, labia sinus, cartilagine quadam orbiculari circumductâ, nonnihil attolluntur.

Os coxendicis, sive coxæ, quod penes nonnullos nomine caret, est sanè maximum. Figuram perhibet triangularem. Situm est utrinque ad latera ossis sacri. Trifariam distinguitur, in partem superiorem, inferiorem, atque anteriorem. Superior dicitur *ilium*. Inferior *ischium*, quod propriè *coxendix* nuncupatur. Anterior *os pubis*. In pueris ossa præfata, cartilagineâ intercedente unione, magis distincta apparent. Quid sit os coxendicis.

Ossa iliaca majora sunt, in regione iliacâ supernè coaptata; quibus infernè succedunt ischia, quæ in facie exteriori maximum habent, profundumque cavum, quo femoris excipiunt caput. Sinus nuncupatur *acetabulum*; cui, ne facilè luxetur, per modum processus circumducitur circulus cartilagineus, *supercilium* dictus. Ischia infernè ex utroque latere reclinantur versùs regionem pubis, ubi processus efficiunt maximos perforatos, ut vulgò creditur, levitatis gratiâ. Processus præfati *ossa* dicuntur *pubis*, sive *pectinis*. Cartilagine intermediâ per *synchondrosin* mutuò sese contingunt. In fœminis mollior est, & crassior cartilago, quo in partu dehiscere queant ossa pubis. Id tamen falsum existimandum videtur. Quid sint ossa iliaca, & pubis.

CAPUT XVI.

De Ossibus Artuum, ac primò Manus universæ, sive Brachiorum.

Distribuuntur ossa artuum superiorum in suas classes, & describitur humerus.

OSsa in artubus ad brachia alia spectant, alia ad crura. Ossa brachii distribuuntur in ossa *humeri*, *cubiti*, ac *manus extremæ*. Humerus unicum est os, magnum, validum, extrinsecùs inæquale, quod partem brachii supernam constituit. Caput iccirco maximum habet rotundum, quod scapulæ, ideſt ejus cervici, quam habet in acromio, innectitur. Anteriùs, prope caput, forìs nonnihil incavatur, fossam, sive sinum efficiens oblongum, quà descendit alter de duobus tendinibus musculi bicipitis brachii flexoris. Infernè injungitur humerus cum ossibus cubiti; quocirca binos in extremo procesſus emittit, cartilagine obductos, inæquales; longior quippe interior, quàm exterior, quibus cubitum excipit. Processus præfati inæquales tuberculis gaudent singuli, quibus inhærescunt ligamenta, & tendines musculorum, quorum ope carpus movetur, & digiti.

Describuntur ossa cubiti.

Ab humero ad manum usque extremam producuntur ossa cubiti, quæ bina sunt. Alterum dicitur *ulna*. *radius* alterum. Sive *focile majus* nuncupatur ulna, *focile minus* dicitur radius. Ulna longior infernè est, & major, quàm radius. Hinc nomen retinet totius, & propriè vocatur quoque *cubitus*. Radius minor, ac brevior, situs est in facie ulnæ superiori. Sese tantùm contingunt ossa præfata humeri versùs partes extremas, quæ, utì monuimus, globosæ sunt. Quocirca distant in medio, ut inter utrunque commodè magis musculos brachii motores excipiant. Cubitus caput habet crassum.

ſum. Binis donatur proceſſibus, quibus humero inne-ctitur. Proceſſus præfati dicuntur *roſtra*. Exterior longior ab Hippocrate (*a*) vocatur *olecranon*. Cubitus infernè oſſibus innectitur carpi, tum cartilagine inter-mediâ, tum proceſſu quodam, unde vinculum profici-ſcitur, quo oſſa carpi colligantur.

Oſſa manus extremæ in oſſa diſtribuuntur *carpi*, *metacarpi*, *phalangis digitorum*. Octo ſunt oſſicula carpi, quorum maximum vincere vix ſolet modicæ molis fabam. Eorum figura non multùm variat. Supernè quatuor ſunt, totidemque infernè quæ radio, cubitoque, ac oſſibus metacarpi adnectuntur. Colliguntur ſimul, conſtringunturque vinculis admodum validis a cubito, radioque exortis. Deſcribuntur oſſa manus extremæ.

Quatuor ſunt oſſicula Metacarpi, oblonga, gracilia, fiſtuloſa. Oſſibus quatuor inferioribus carpi, item & prioribus digitorum injunguntur. In dorſo manus ſunt convexa. In volâ cava, ut objecta arripere, eaque comprehendere meliùs valeant. Deſcribuntur oſſicula metacarpi.

Quindecim enumerantur oſſa, quæ conſtituunt digitorum phalangem; ſinguli namque digiti tribus conſtant oſſiculis. Priora, ideſt in baſi digitorum, majora. Media minora. Extrema minima, ad digitorum præſertim apicem. Craſſiuſcula deprehenduntur ubi innectuntur, atque in nodos propterea ibi extuberant. Foris ſingula gibba ſunt, & nonnihil aſpera. Plana intus, & aliquantulum incurva; ut objecta profuga arctiùs corripere, eaque ſiſtere queant. Enumerantur in manu oſſa, quæ digitos conſtituunt.

(a) *Lib. 7. Epid. n. 32.*

CAPUT XVII.

De Ossibus Pedum, sive Crurum.

Describuntur ossa artuum inferiorum in suas classes, & describitur femur.

NOn secus ac brachium, trifariam dividitur crus, sive pes: in ossa *femoris*, *tibiæ*, sive *cruris*, ac *pedis extremi*. Os femoris unicum est, ac maximum, præsertim si longitudinem spectes. Collum habet cum capite adnexo, cartilagine obducto, quo arctè sese immittit in acetabulum coxendicis, sive ischii; ubi, ne levi excidere valeat de causâ, validè detinetur duplici ligamento. Alterum breve est, ac teres; veluti funiculus producitur ex medio acetabulo in medium caput femoris, cui arctissimè affigitur. Alterum latum, & crassum, undequaque circumducitur per acetabuli supercilium, communi veluti fasciâ, sive institâ articulationem ambiens. Non procul a capite binos utrinque femur emittit processus, qui *trochanteres* nuncupantur, sive *rotatores*. Exterior major, & superior. Interior minor, atque inferior. Alios infernè habet processus, quibus tibiæ innectitur.

Describuntur ossa tibiæ.

Tibia, non secus ac cubitus, duo habet ossa, ad partes extremas arctissimè conjuncta, medio nonnihil dissita. Alterum interius, & majus. Alterum exterius, & minus. Interius majus nuncupatur *tibia*, sive *focile majus*. Exterius minus *fibula* dicitur, sive *focile minus*. Tibiæ pars posterior lata est. Anterior acuta, quæ propterea cruris *spinam* conficit. Ibi fermè, ubi femori injungitur tibia, nimirum ad genu, anteriùs apponitur os aliud rotundum, latumque, quod *patella* vocatur, *rotula* a nonnullis, item & *mola*. Rotula, firmandæ, ne vacillet, sive luxetur in genu, tutandæque articulationi, plurimùm conferre videtur. Infernè

sinus

ſinus habet tibia, quibus excipit oſſicula tarſi. Habet quoque proceſſum rotundum, unde extuberat malleolus cruris interior. Fibula tibiæ adnectitur in latere, perinde ac ulnæ radius in cubito. Hæc infernè malleolum emittit cruris exteriorem, ibique plures habet ſinus, quibus aptantur oſſa *tali*, ſive *tarſi*.

Diſtribuuntur oſſa pedis extremi in ſuas claſſes.

Pes extremus diſtribuitur in oſſa *tarſi*, *metatarſi*, & *phalangis digitorum*. Septem ſunt oſſa tarſi. Quinque metatarſi. Quatuordecim phalangis digitorum. Eorum connexio, ſitus, & figura, ab iis, quæ in manibus extremis deſcripſimus, non multùm diſtant.

Quid ſint ſeſamoides.

Extra ſceletum, præſertim ad tendines muſculorum extremos, atque ad digitorum internodia, tum in manibus, tum in pedibus, oſſicula quædam occurrunt minima, quæ, quia minima ſeſami ſemina æmulari ſolent, *ſeſamoidea* appellari conſueverunt. Extra ſceletum occurrunt, eoquòd unà cum tendinibus præfatis utplurimum avellantur. Paſſim replent nodorum intercapedines, ne præ niſu digitorum vacillent internodia.

CAPUT XVIII.

De nonnullis membranis præcipuis interioribus corporis humani, & primò de iis, quæ conſtituunt parietes Abdominis.

Quid ſint propriè muſculi abdominis.

HActenus de oſſibus, ac de membranis obvolventibus parietes ſinuum exteriores. De iis modò agamus oportet, quæ vel ſinus intus obducunt, vel earum conſtituunt parietes. De *meningibus* nimirum in capite, de *pleurâ* in thorace, necnon etiam de *diaphragmate*, de *peritonæo*, item & de *omento* in imo ventre. Verùm enim verò membranas haſce priuſquam attingamus, operæ pretium eſt, ut brevem ſaltem præ-

præmittamus historiam musculorum abdominis, qui simul sumpti, eoquòd plerique in latum extendantur, veluti menbranæ quædam crassiores, fibrosæ, ac musculares, diversi generis, per parietes abdominis explicantur; quinimmo & eosdem parietes ipsi fermè conficiunt. Musculi abdominis statim occurrunt in facie præsertim anteriori abdominis sub tegumentis communibus. Latissimi sunt, crassissimi, plurimùmque carnosi. Explicantur utrinque per faciem universam imi ventris anteriorem, inter panniculum carnosum, & peritonæum. Decem sunt, ideoque in paria distribuuntur quinque, nomina sua ducentes peculiaria a figurâ, situ, ductuque fibrarum vario. Hinc alii dicuntur *obliquè descendentes*. Alii *obliquè ascendentes*. Alii *transversi*. Alii *recti*. *Pyramidales alii*. Recti tamen, atque pyramidales, quoniam figuram undique latam, uti priores, non habent, dicendi reverà non sunt musculi membranosi, sed potiùs carnosi, ut deinceps dicturi sumus.

Describuntur obliquè descendentes. Obliquè descendentes latissimi sunt. Originem ducunt a costis mendosis, quibus inseruntur tendinibus quibusdam serræ adinstar veluti dentati. Exinde per processus vertebrarum transversos descendunt ad costam ossium iliacam, cui firmiter adhærescunt. Mox pars eorum carnosa admodum crassa extenuatur ubique, & tendines amplissimos, quamexiles licèt, & membranaceos efficit, qui ad *lineam albam* utrinque desinunt.

Quid sit linea alba. Linea alba nuncupatur concursus quidam tendinum musculorum abdominis communis, qui sese mutuò per medium abdomen implicando, lineam candidissimam constituunt, quæ a scrobiculo cordis per umbilicum ad pubem, per faciem imi ventris anteriorem, rectà descendit.

Describuntur obliquè ascendentes. Detractis obliquè descendentibus, offendimus obli-

obliquè aſcendentes, qui enaſcuntur a coſtâ oſſium iliacâ, ac per proceſſus vertebrarum tranſverſos ſub prioribus ad coſtas aſcendunt mendoſas, quibus arctiſſimè affiguntur. Non ſecus ac obliquè deſcendentes, in tendines tenuiſſimos ſeſe extenuando membranoſos, in eandem lineam albam abſumuntur.

Sub obliquè aſcendentibus explicantur tranſverſi, qui originem ducunt a proceſſibus vertebrarum tranſverſis. Supernè coſtis adhærent mendoſis. Infernè oſſibus iliacis. Tendinibus ſuis membranaceis perexilibus ex utroque latere ad lineam uſque albam expanduntur. Deſcribuntur tranſverſi.

Inter tendines muſculorum præfatos adſunt muſculi recti. Craſſiſſimi quanvis, ac longiſſimi, longè minorem habent latitudinem. Proficiſcuntur tendinibus ſuis extremis, ſub finem oſſis ſterni, a lateribus cartilaginis mucronatæ. Non procul a lineâ albâ rectà deſcendunt utrinque ad oſſa pubis, quibus firmiter ita adhæreſcunt tendinibus ſuis inferioribus, ut avelli vix queant, niſi eorum diſcerpatur ſubſtantia. Caro, ſive venter rectorum in plures quandoque veluti muſculos dividitur, lineis quibuſdam intercedentibus tendinoſis. Deſcribuntũr recti.

Sub rectorum finem in facie eorum exteriori ſeſe perhibent aſpectui pyramidales, qui minimi ſunt, id nominis ſibi vindicantes, eoquòd pyramidis adinſtar, a latâ, craſsâque baſi conſurgant ex oſſibus pubis, umbilicum versùs; ex quibus paulatim, & ſenſim decreſcentes extenuantur, donec tandem abeant in tendines minimos oblongos, quibus umbilicum interdum attingunt, plerumque licèt, priuſquam eò perveniant, penitus deleantur. Deſunt non ſemel muſculi pyramidales, iis præſertim, quibus craſſiores ſunt muſculi recti. Deſcribuntur pyramidales.

Seſe contrahendo muſculi abdominis deprimunt co- Muſculorum Abdominis munus præcipuum.

coſtas, viſcera comprimunt imi ventris; quæ compreſſa, attolluntur, atque impellunt ſubſtantiam diaphragmatis in cavum thoracis. Hinc pulmones quoque quodammodo comprimunt. Quamobrem reſpirationem plurimùm adjuvant, humores per viſcera validiùs promovent, fœces ab inteſtinis excludunt, emittuntque. Urinam tum ex renibus, tum ex ureteribus, tum ex veſicâ urinariâ, item & fœtum in puerperio, unà & ſecundinas, & lochia, ut luculentiùs, fuſiùſque dicturi deinceps ſumus, egerunt.

CAPUT XIX.

De Meningibus, Pleurâ, Mediaſtino, Peritonæo, & Diaphragmate.

Quid ſint meninges.

MEninges ſunt membranæ quædam, quibus cerebrum in Calvariâ obducitur. Altera exterior eſt, craſſa, validior; iccirco dicitur *craſſa*, ſive *dura meninx*. Tenujor altera, & mollior; quamobrem vocatur *meninx tenuis*, ſive *mollis*. Quia autem ex meningibus iſtis originem ducunt reliquæ omnes membranæ corporis humani, ut vulgò ſaltem creditur, paſſim ſibi comparant quoque penes Anatomicos *Matris* nomen; craſſior videlicet appellatur *dura mater*, tenujor dicitur *pia mater*. Veruntamen, quum de meningibus impoſterùm, ubi de cerebro ex profeſſo, agendum ſit, id paucis in præſenti de meningum ſitu, munere, ac ſtructurâ in genere prolatum fuiſſe, ſit ſatis.

Quid ſit pleura.

Pleura, utì ſuperiùs item innuimus, membrana eſt tenuiſſima, & validiſſima, quæ undequaque explicatur per parietes thoracis interiores, arctiſſimè coſtis adhærens, muſculiſque intercoſtalibus. Subſtantiam duram habet, denſam, maximè ſenſitivam, quæ facilè ta-

tamen explicatur, ſive extenditur. Facies pleuræ interior, ne pulmones in reſpiratione tangendo lædat, levis eſt, & mollis. Exterior, ea nempe, quæ proximè attingit parietes thoracis interiores, aſpera, atque inæqualis; idque, ni fallor, ut muſculis intercoſtalibus, coſtarumque perioſteo meliùs adhæreſcat. Duplici compingitur lamellâ, atque inter utranque potiſſimùm dirimuntur trunci arteriarum, venarumque, necnon etiam nervi intercoſtales, quibus uberrimè pleura contexitur. Hinc levi inflammatur de causâ, dolorem, & febrem in pleuritide provocant peracutum.

Quid ſit mediaſtinum.

Ad vertebras dorſales duplicatur, ac duplicata rectâ producitur inter utrunque pulmonum lobum per medium thoracem ad ſternum, cui firmiter affigitur. Ideoque thoracis cavum univerſum a ſummo ad imum in duplicem findit ſectionem lateralem. Pleura ita duplicata *mediaſtinum* nuncupatur. Supernè claviculis adhæret. Infernè diaphragmati, cujus ſubſtantiam in regionem dexteram, atque ſiniſtram dirimit. Mollior eſt mediaſtini ſubſtantia, quàm pleuræ. Inter duplicem mediaſtini membranam inſeritur cor, œſophagus, vena cava, nervi, qui dicuntur *ſtomachici*, & pleraque vaſa lymphatica, quæ a partibus proximis tendunt ad receptaculum chyli commune, ut ſuo loco dicendum.

Munus mediaſtini præcipuum

Mediaſtinum cor non modò ſuſpendit, ac vaſa fulcit, quæ diſtribuuntur per inferiora, verùm etiam thoracis cavum bipartitur, ut uno vulnerato thoracis latere, per alterum reſpiratio adhuc peragatur.

Quid ſit peritonæum.

Quemadmodum pleura thoracem interiorem, ita peritonæum abdomen intus obducit, perque ejus parietes interiores undequaque explicatur, ac veluti ſacculus membranaceus viſcera nonmodò omnia imi ventris ſub diaphragmate includit; quinimmo & eorum nonnulla, variè ſeſe hinc inde duplicando, ſeorſim

vestit. Binos infernè emittit processus fistulosos, qui ad inguina ex utroque latère tendines perforant musculorum abdominis inferiores, ut ad scrotum producantur, in quo testes singulos laxè vestiunt. Facies ejus exterior fibris quandoque aspera deprehenditur. Interior mollis, & levis ob humorem tenuem oleaceum, qui jugiter exudat ex minimis glandulis per ejus substantiam undequaque diffusis. Ubique firmiter adhæret faciei abdominis interiori, ossibus præsertim iliacis, vertebris ossis sacri, ac ossibus pubis. Substantia peritonæi, tenuis licèt, duplici constat lamellarum strato, non secus ac pleura, sive duplici membranâ, quarum altera exterior est, altera interior. Ab exteriori propriè producuntur processus peritonæi superiùs descripti. A partibus proximis suscipit vasa cujuslibet generis. Secto anteriùs peritonæo, confestim oculis obversantur vasa, quæ dicuntur *umbilicalia*, quorum historiam exponam, ubi de *Fœtu*.

Quid sit diaphragma.

Diaphragma dicitur, vel septum transversum, membrana muscularis, lata, maximâ ex parte carnosa, crassa, & mollis, quæ transversùm aptatur ad thoracis confinia; ideoque cavum ventris medii secludit a cavo ventris imi. Figuram propemodum orbicularem habet. Posteriùs tamen binos emittit processus tendinosos, quibus plerùnque infigitur prioribus lumborum vertebris. Exinde a vertebris sursum obliquè, veluti fornix, laxè producitur ad finem sterni, cui adnectitur, sese tamen circumcirca explicans, costarum inferiorum ambitui firmiter adhærescit.

Figura diaphragmatis in extinctis.

Facies diaphragmatis superior, quæ thoracem spectat, in expiratione, atque adeo in extinctis, gibba est, vel convexa. Inferior, ea nimirum, quæ ventrem imum respicit, cava. Pluribus foraminibus pervium deprehenditur diaphragma, quà œsophagus transit, & vasa descen-

ſcendentia,præter arteriam magnam deſcendentem,quæ producitur inter proceſſus tendinoſos poſteriores nuper deſcriptos. Subſtantia diaphragmatis marginem extremum habet tendinoſum, item & meditullium, quod centrum dicitur diaphragmatis. Reliqua ubique deprehenditur carnoſa. Duplici intercipitur membranâ. Superior producitur a pleurâ per faciem diaphragmatis gibbam. Inferior a peritonæo per faciem cavam. Arterias, venaſque plurimas habet a truncis proximis, item & nervos; inter quos præ cæteris inſignes ſunt nervi, unus ſcilicet ex utroque latere, qui triplici radice a cervice exoriuntur, utrinque deſcendentes per mediaſtinum indiviſi ad ſubſtantiam diaphragmatis uſque; per quam in quatuor, aut plures ſurculos dirimuntur, quorum alii diſtribuuntur per ſubſtantiam tendinoſam, per carnoſam alii &c. Ex truncis præfatis effunduntur quoque per membranam narium interiorem ſtamina nonnulla. Hinc, membranâ narium interiori concitatâ, convellitur per conſenſum diaphragmatis ſubſtantia, & ſternutatio, ut probabiliùs videtur, erumpit.

Non videtur diaphragma, niſi muſculus membranaceus, non ſimplex, ſed pluribus conſtans muſculis, ideſt biventer, ſive digaſtricus apud nonnullos. Triventer, ſive trigaſtricus apud alios; quorum caudæ, ſive tendines extremi cohærentes in medio, centrum diaphragmatis tendinoſum conficiunt. Capita autem, ſive alii tendines ſterno, & coſtis adhærentes, ambitum extremum diaphragmatis tendinoſum undequaque compingunt; quo fit, ut, quum agit diaphragma, contrahatur, & complanetur. Hinc ejus ſubſtantia media, uno eodemque tempore, quo tendit ad anteriora abdominis, deſcendit quoque ad inferiora. Quamobrem cavum abdominis anguſtius evadit, tum quum amplius ſit cavum thoracis.

Quomodo in vivis agat diaphragma.

 Dia-

Munus diaphragmatis præcipuum.

Diaphragma, ut ad uſum deſcendamus, ad liberam reſpirationem, ac commodam humorum, per viſcera præſertim imi ventris, diſtributionem, ad validiorem fœcum excretionem, opportunamque fœtus in puerperio, lochiorum, ſecundinarumque excluſionem, ſeſe contrahendo, relaxandoque unà cum reliquis muſculis abdominis, plurimùm conferre exiſtimamus; viſcera quippe comprimit ſubjecta, a quibus humores exprimit &c. De iis tamen omnibus ſuo loco. Oeſophagum præterea infernè comprimit, clauditque, ne alimenta ingeſta levi de causâ eructentur.

C A P U T XX.

De Corde, & Pericardio.

Quid ſit cor.

COr inter organa corporis humani viventis fermè præcipuum, inter viſcera maximè neceſſarium, eſt pars organica, diſſimilaris, carnoſa, admodum craſſa, in medio thorace ſita, inter lobos pulmonum, ubi & ſanguinem propellit in corpus univerſum, atque à corpore univerſo eundem reducem recipit ſanguinem, lympham, unà & chylum, quem magis magiſque digerit, extenuatque. Sanguinem propellit ſeſe contrahendo. Sanguinem reducem, lympham, & chylum recipit, ſeſe viciſſim explicando. Hinc in thorace jugiter movetur cor, pulſatque, ideſt alternatim contrahitur, atque explicatur. Figura cordis exterior conica quaſi videtur; a latâ quippe baſi in mucronem decreſcit. Baſis ſuperior, partes nempe ſupernas ſpectat thoracis. Mucro inferior. Cordis magnitudinem, prout corporis univerſi variat moles, ipſam quoque variare comperimus. Nihilominus longitudo in adultis utplurimùm ad digitos producitur ſex tranſverſos. Latitudo

ba-

basis ad quatuor, vel quinque explicatur. Ambitus cordis totius ad quatuordecim circiter extenditur.

Cordis basis suspenditur partibus supernis, vasorum præsertim interventu, quæ ad cordis pertinent substantiam, item & ad sinus. Reliquum cor liberum, & ubique solutum cernitur, ut faciliùs fortasse agendo contrahi, explicarique valeat. Quinimmo, ut diaphragmati subjecto cedat, cuspis cordis sinistrorsùm paululum vergit. Conditur inter binos mediastini parietes, ubi includitur membranâ quadam tendinosâ, veluti marsupio peculiari, quæ nuncupatur *pericardium*. Quibus partibus innectatur cor.

Pericardium, sive capsula cordis, sive cordis vagina, sive marsupium, sive sacculus, dicitur membrana tendinosa, quæ veluti sacculus cor laxè includit. Cordis basi firmiter adnascitur. Per reliquam cordis faciem exteriorem nullibi adnectitur. Extremitas pericardii inferior centro diaphragmatis tendinoso in corpore humano accrescit. Non ita in reliquis animalibus; homo enim rectà incedit; ideoque, nisi pericardio adnecteretur diaphragma, deorsum nimis adduceretur gravitate viscerum abdominis; quæ, aut proximè, aut remotè diaphragmati suspenduntur universa. A lateribus facies pericardii exterior membranis interioribus mediastini per minimas fibrulas hinc inde alligatur. Facies pericardii exterior aspera nonnihil occurrit. Levis contra interior. Quid sit pericardium.

Distinguitur substantia pericardii in duplicem lamellam, sive in duplicem tunicam. Exterior provenit a mediastino. Interior originem ducit a truncis sanguiferorum communibus, qui consurgunt ex basi cordis. Per membranas, tendinosas licèt, distribuuntur propagines sanguiferorum variæ, nervorumque, necnon etiam minima quædam lymphatica. Describitur pericardii textura.

Pe-

Pericardii munus.

Pericardium nihil aliud præstare videtur in corpore humano, quàm excipere, & continere humorem peculiarem, qui cor humectat, ejusque irrorat fibras, ut facilior sit cordis motus alternus.

Quid sit humor pericardii, & unde proveniat.

Humor pericardii serosum sese perhibet, subsalsum, & aliquantulum rubicundum, veluti carnis loturam. Colligitur in cavo pericardii ad quantitatem cochlearis unius circiter. Quum ad ignem admovetur, tenujoribus, volatilioribusque extenuatis, atque absumptis particulis, paululum concrescit. Exudat, uti opinor, vel a spiraculis sanguiferorum insensibilibus, vel a *thymo*, vel, ut longè probabiliùs existimo, a glandulis minimis hinc inde sparsim sitis, & per membranas pericardii, & per pinguedinem, quæ ad cordis basin sub pericardio exuberat. Recentiores nonnulli affirmant quoque humorem præfatum a partibus proximis per minima lymphatica defluxisse, se observasse, in cavum pericardii.

Describitur cordis textura, æquè ac sinus interiores.

Cordis substantia crassa quanvis, & densa, non æquè tamen ubique ejusdem generis occurrit; quandoquidem tenujor, & mollior deprehenditur in latere cordis dextero; crassior in sinistro, magisque compacta; ad apicem densissima; sub finem apicis admodum tenuis, quum ibi nihil aliud videatur, quàm productio quædam membranæ cordis exterioris. Partem efficit organicam; siquidem ablatâ, vel intimè læsâ, cessat omnino sanguinis distributio per universas corporis partes, cessatque organorum facultas, item & vita. Dissimilaris quoque haberi debet; membranâ quippe foris obducitur; fibris intus complicatur; inter fibras sibi comparat a truncis communibus triplicis generis vascula, necnon etiam ductus minimos lymphaticos; quæ omnia ita conveniunt, ut sinus quatuor interiores constituant in corde valdè conspicuos. Bini laterales sunt ad basin.

Nun-

Nuncupantur *auriculæ*, quum non videantur, nisi cordis appendices cavæ, quæ tanquam bini loculi, sive sacculi carnosi ad latera basis exurgunt. Bini occurrunt per ipsam cordis substantiam, a basi versùs apicem, vocanturque *ventriculi*.

Auriculæ abinvicem distinguuntur, cordis basi intermediâ. Ventriculi, septo cordis fibroso; quo fit, ut per foramina peculiaria communicent auriculæ cum ventriculis: idest auricula dextera cum ventriculo dextero, sinistra cum sinistro, nequaquam auricula cum auriculâ, ventriculus cum ventriculo. Ventriculis adapertis sese perhibent aspectui per eorum parietes interiores fibræ quædam carnosæ crassiores, quæ dicuntur *lacerti*. Sese perhibent aspectui plures quoque sulci, sive fossulæ in substantiâ cordis excavatæ per parietes ventriculorum interiores. Lacerti, item & sulci cordi contrahendo plurimùm conferre videntur; nam, quum ventriculorum parietes sint admodum crassi, contrahi commodè nequirent, nisi essent in sulcos hinc inde proscissi, qui propterea in systole per variam lacertorum contractionem validè contrahuntur.

Describuntur ventriculi, item & auriculæ cordis.

Membrana cordis exterior, tenuis licèt, est admodum densa. Explicatur undequaque per ambitum cordis, cui firmiter ita adhærescit, ut vix distinguatur. Huic extrinsecùs, in basi præsertim cordis, plurimus adnascitur adeps; qui, ni fallor, delinire valet fibras cordis extremas, ne præ motu nimio arefiant.

Describitur membrana cordis exterior.

Hac detractâ membranâ, nuda obversatur cordis substantia fibrosa. Hæc ubique deprehenditur carnosa, præterquam in basi, quæ tendinosa est. Duplicis generis sunt cordis fibræ. *Longitudinales*, sive *rectæ*; *spirales*, sive *obliquæ*. Longitudinales rectà descendunt per substantiam cordis interiorem a basi ad mucronem; ideoque omnes ferè coeunt in lacertos, sive in columnas ven-

Describuntur cordis fibræ.

ventriculorum interiores. Spirales, quæ cæteras numero longè ſuperant, ab eâdem baſi cordis tendinosâ ductu obliquo, inflexoque, ſpirarum in modum, ad apicem prope per ambitum cordis exteriorem deſcendunt. Ab apice intus aſcendunt ad baſin cordis, ductibus ſpiralibus, prioribus omnino contrariis, per parietes ventriculi ſiniſtri ſeſe iterum intorquentes. Quinimmo præfatæ fibræ ſpirales interiores aſcendentes maximâ ex parte parietes ventriculi ſiniſtri conſtruere ſolent; adeo ut nihil aliud videatur ſeptum fibroſum inter utrunque ventriculum intercedens, niſi paries dexter ejuſdem ventriculi ſiniſtri contextus, ſive potiùs circumdatus fibris ſpiralibus intus aſcendentibus.

Munus præcipuum cordis fibrarum.

Fibrarum ſpiralium ope fit potiſſimùm, quod arctiſſimè coerceatur cor, ejuſque ſubſtantia in ſyſtole comprimatur. Etenim fibris præfatis contractis, & cor undequaque contrahatur neceſſe eſt; eoquòd per contractionem fibrarum iſtarum, ad baſin apice accedente, fieri minimè poſſit, quominus adinvicem accedant & ipſi parietes.

Deſcribuntur vaſa cordis.

Vaſcula, quæ per cordis ſubſtantiam uberrimè diſtribuuntur, ſunt arteriæ, venæ, nervi, ductuſque lymphatici, qui tamen potiùs excurrunt per faciem cordis exteriorem. Arteriæ, & venæ cordis dicuntur *coronariæ*. Binæ ſunt arteriæ coronariæ, item & binæ ſunt venæ coronariæ. Originem ducunt binæ arteriæ ex trunco arteriarum communi intra pericardium, prope baſin cordis ex communi ferè principio. Attamen versùs partes extremas per anaſtomoſin mutuò paſſim conveniunt. Binis arteriis coronariis totidem ferè reſpondent venæ coronariæ, quæ pluribus minimis diſtractis radicibus conſurgunt ex universâ cordis ſubſtantiâ, & truncis ſuis communibus aſcendentes conveniunt omnes in truncum venarum majorem communem intra pe-

pericardium, non procul a basi cordis. Dicimus *ferè*; etenim surculos nonnullos prædictarum arteriarum intimiores sanguinem expuere in eosdem cordis sinus, ex novissimis sectorum observationibus olim accepimus. Tum arteriæ, tum venæ coronariæ valvulas habent in exortu minimas semilunares, quæ sanguinis regressum prohibent. Nervi producuntur, & dirimuntur per universam cordis substantiam, tum a pari vago, tum a plexu, quem paulò supra cor in thorace offendimus, qui propterea *cardiacus* a Willisio nuncupatur.

Quid sint trunci præcipui arteriarum, venarumque.

At præter vasa hæc, quæ per substantiam cordis, præsertim nutritionis gratiâ, motusque pulsationis distribuuntur, consurgunt ex eâdem cordis basi trunci quatuor maximi communes sanguiferi, qui haberi debent tanquam origo, & tanquam principium reliquorum omnium sanguiferorum, arteriarum nimirum, venarumque, quæ per partes universas, ac per organa omnia corporis humani effunduntur.

Unde propriè arteriæ, & venæ exoriri dicantur.

Arteriæ egrediuntur a ventriculis per basin cordis mediam duobus truncis maximis communibus omnino distinctis. Venæ proficiscuntur ab auriculis ad latera basis ejusdem cordis duobus aliis truncis quoque maximis communibus, atque longè magis distinctis. Exinde tum arteriæ, tum venæ quaquaversum per reliquas humani corporis regiones, vel per ipsam cordis substantiam distribuuntur, quum & vascula coronaria non ita pridem descripta ab iisdem truncis communibus, ut ita dicam, fruticentur, germinentque. In quo tamen id maximè adnotandum respectu motus sanguinis circularis per universum corpus, arterias reverà tantùm dici posse, a ventriculis egredi; a ventriculis quippe truncis veluti communibus, in plures propagines minores, & rursus minores dispersis, corpori universo sanguinem impertiuntur. De venis contra opinari potiùs

debemus, pluribus disperſis propaginibus minoribus a reliquis exoriri corporis partibus, ut truncis poſtmodum maximis communibus deſinant in auriculas. Siquidem ſanguis per reliquas omnes corporis regiones effuſus ſubit diſtractos venarum ramos, a quibus confluit in truncos communes, ac per truncos venarum communes iterum refluit ad cor, ut mox dicendum.

Quid ſint arteria aorta, vena cava: arteria, & vena pneumonica.

Arteria, quæ egreditur a ventriculo cordis ſiniſtro, quæ planè arteriarum omnium maxima eſt, quæque in univerſum dirimitur corpus, vocatur *Aorta*, ſive *arteria magna*, quum per hanc ſanguis a ventriculo cordis ſiniſtro effundatur in univerſas corporis regiones. Altera, quæ originem ducit a ventriculo dextero, quæque duntaxat effunditur per univerſam pulmonum ſubſtantiam, dicitur *Arteria pneumonica*, a nonnullis *vena arterioſa*. Per arteriam hanc ſanguis a ventriculo cordis dextero irrigat tantùm ſubſtantiam pulmonum. Vena, quæ a reliquis corporis partibus, utì ante jam diximus, egreditur, deſinitque in auriculam dexteram, vocatur *Vena cava*, a nonnullis *vena magna*; per hanc quippe venam a reliquis omnibus corporis partibus in auriculam cordis dexteram redux evomitur ſanguis. Altera vena, quæ pluribus ſuis propaginibus exoritur tantùm a ſubſtantiâ pneumonicâ, atque in truncum convenit communem, qui in auriculam aperitur cordis ſiniſtram, appellatur *Vena pneumonica*, a nonnullis *arteria venoſa*; quandoquidem per hanc venam redux a pulmonibus ſanguis refluit ad cor.

Deſcribitur motus ſanguinis circularis.

Quamobrem arteriæ aortæ reſpondet vena cava. Arteriæ pneumonicæ reſpondet vena pneumonica; eoquòd ſanguis, qui a ventriculo cordis ſiniſtro per aortam reliqua omnia corporis humani viventis irrigat membra, a reliquis omnibus corporis membris per venam cavam devolvatur in auriculam cordis dexteram.

Ab

Ab auriculâ cordis dexterâ descendit in ventriculum dexterum, a quo propellitur per arteriam pneumonicam ad pulmones. In pulmonibus ramusculos subit venæ pneumonicæ, ac per truncum communem ejusdem venæ pneumonicæ defluit in auriculam cordis sinistram. Mox in ventriculum sinistrum. A ventriculo sinistro per aortam in universum corpus &c. Hinc sanguis, motu quasi perenni, in gyrum movetur per corpus humanum vivens a corde per arterias in universum corpus. Ab universo corpore per venas iterum ad cor. A corde per arterias ad reliquas omnes corporis regiones &c. Unde sanguinis *motus circularis*, sive *sanguinis circulatio*, quæ Veteribus, nisi penitus ignota, fuit saltem admodum obscura, & quam temporibus ferè nostris luculenter evulgavit præ cæteris inclytus Harvæus Professor Anglus.

Quicquid reverà observatur de motu sanguinis circulari, qui per venas remeat ad cor.

Motum progressionis, motum nimirum, quo per universas humani corporis vitam habentis regiones in gyrum progreditur sanguis, designantes, reducem sanguinem a trunco venæ cavæ in auriculam dexteram, atque a trunco venæ pneumonicæ in auriculam cordis sinistram immitti, jam ante innuimus. Adnotandum tamen, non omnem sanguinem venosum reducem planè a venis in auriculas effundi; quum aliqua saltem portio a truncis venarum communibus, quin auriculas ingrediatur, ventriculos statim subit. Id appositè adnotavit idem Boerhaavius (*a*) ex auctoritate Ruyschii, Lovv., Drak., illustris Eustachii. *Venæ quotcumque in toto visuntur corpore eâdem ratione se habent ad venam cavam. Hæc autem format amplum, atque membranæ arteriosæ simili obductum sinum, qui in cavum auris dexteræ cordis, & in thalamum dexterum partim desinit &c.*

(a) *Institution. Medicar. num.* 135.

CAPUT XXI.

De Pulsatione cordis, ejusque valvulis.

Describuntur valvulæ cordis.

UT cor in arterias urgeat sanguinem, contrahatur necesse est. Ut eundem sanguinem a venis excipiat, explicetur necesse est. Hinc *systole*, & *diastole* cordis; idest *contractio*, atque *expansio*, quæ quandiu corpus humanum vitam habet, tandiu alternari debent. Quocirca indesinenter pulsat cor, & quodammodo palpitat intus in thorace: eâ tamen lege, ut quum ventriculorum fit systole, tum auricularum fiat diastole. Et viceversâ. Id profectò maximâ ex necessitate; nam sese contrahentes ventriculi sanguinem validè propellunt uno eodemque tempore per arterias, item & per venas universas, in auriculas; quæ propterea, nisi explicarentur, propulsi sanguinis affluxum excipere nequirent. At, ne sanguis semel propulsus a ventriculis in arterias, ab arteriis in ventriculos retrocedat; & ne sanguis ab auriculis propulsus in ventriculos, a ventriculis retrocedat in auriculas, ad orificia ventriculorum valvulæ occurrunt duplicis generis, quæ a figurâ suâ exteriori varia sibi comparant nomina. Aliæ quippe dicuntur *sigmoides*, *semilunares*, *cucullares*, *mitrales*. *Tricuspides aliæ*, sive *pyramidales*.

Describuntur valvulæ sigmoides.

Numero tres sunt sigmoides in utroque ventriculo. Apponuntur ad ventriculorum orificia, ex quibus egrediuntur arteriarum trunci. Figuram habent conicam, sive potiùs quodammodo elycticam, cavam intus. Basis earum cava meatum respicit arteriarum interiorem. Cuspis respicit, sive quodammodo producta pervadit ventriculorum cavum. Altera facies valvularum, ea nimirum, quæ tangit ventriculorum parietes, cor-

dis

dis ſubſtantiæ proximè adhæreſcit. Altera versùs cavum ventriculorum libera deprehenditur. Iccirco ita inſtructæ, ac poſitæ ſunt, ut deprimantur a ſanguine propulſo a ventriculis in arterias; qui propterea viam per eas ſibi ſternit, ut irruere valeat a ventriculis in arterias, ideſt a cuſpide versùs baſin valvularum depreſſarum. Contra, quum ſanguis retroducere enititur ab arteriis in ventriculos, ſubit valvularum cavum per baſin, quas iccirco inflat, earumque explicat parietes, & per parietes expanſos ſibi prorſus claudit regreſſum ab arteriis in ventriculos.

Deſcribuntur tricuspides.

Tricuſpides ſeſe perhibent aſpectui in orificiis ventriculorum ad venas extremas, nempe ad orificia auricularum, inter auriculas, & ventriculos. Tres, utplurimùm occurrunt ſub finem auriculæ dexteræ. Binæ tantùm ſub finem auriculæ ſiniſtræ. Nihil aliud videntur valvulæ tricuſpides, quàm productiones lacertorum membranaceæ triangulares; quæ, ne in cavum auricularum reclinent nimis, lacertis alligantur, ſive columnis ventriculorum, per fibrulas minimas exortas ab earum cuſpidibus. Ita aſſurgunt valvulæ tricuſpides ex latâ, & nonnihil craſsâ baſi, ut cedant ſanguini venoſo, qui ab auriculis ingreditur ventriculos. Validè tamen reſiſtunt, quum idem ſanguis a ventriculis impetum faciat versùs auriculas.

Cor inter muſculos recenſetur.

Sedulò perpendenti ſtructuram cordis, motum pulſationis, ac munus, fieri minimè poteſt, quominus liqueat, cor muſculum eſſe carnoſum, cavum, pluribus conſtantem muſculis antagoniſtis, ſive contranitentibus, quorum beneficio perennet in univerſo corpore humano vitam habente ſanguinis motus circularis. Pluribus conſtare muſculis videtur antagoniſtis, quorum tendines reclinantur, & complicantur per baſin cordis tendinoſam; quippe diverſus eſt motus auricu-

larum

larum a motu ventriculorum; quinimmo & ex adversa opponuntur; motus enim auricularum directè, utì monuimus, motui opponitur ventriculorum, & viceversâ.

Declaratur causa motus cordis, utpote quæ nobis probabilior videtur.

Si quis quærat, aut causam motus cordis genuinam, aut quare contrahantur auriculæ, uno eodemque tempore, quo explicantur ventriculi, & e converso, respondemus, pluribus id fieri de causis, & maximè per influxum spirituum animalium, qui a cerebro per nervos radiant in fibras cordis, quas subeunt, atque inflant; siquidem quum spiritus præfati a fibris auricularum transeant in fibras ventriculorum, fit, ut contrahantur priùs auriculæ, mox ventriculi. Respondemus præterea, quod cordis structura ejusmodi est, ut contractio ventriculorum necessariò inducere debeat expansionem auricularum, & viceversâ. Quocirca fieri, neutiquam potest, quin systole, & diastole auricularum, & ventriculorum, utì diximus, alternentur &c.

Quare Veteres cor effecerint sedem præcipuam caloris innati.

In cordis finibus longè magis effervescit sanguis, quàm alibi. Quod ansam Veteribus dedit, ut haberent cor tanquam sedem præcipuam caloris innati; id licèt fieri tantùm possit per motum sanguinis intestinum, per fermentationem videlicet ejusdem sanguinis, quæ longè validior in finibus præfatis excitatur, ut suo loco fusiùs.

CAPUT XXII.

De Arteriarum, venarumque structurâ, pulsatione, distributione, atque usu.

Declaratur arteriarum, venarumque structura, & usus.

ARteriarum parietes crassiores longè, validioresque deprehenduntur, quàm venarum. Densissimi sunt, & quasi cartilaginei; præsertim in exortu.

Quo-

Quocirca duplicem arteriis passim concessere tunicam Majores, unam tantùm venis. Veruntamen tum in arteriis, tum in venis quadruplicem fuisse, palam fecit Willisius, minimè dissentiens a Galeno, qui (a) hæc habet. *Unaquæque arteria constat duplici tunicâ, quibus possunt addi tertia, & quarta.* Exterior a minimis, quibus contexitur, vasculis, retis in modum, dicitur *vasculosa*. A minimis altera, quibus componitur glandulis, vocatur *glandosa*. Tertia dicitur *muscularis*, sive *fibrosa* a fibris suis carnosis, quæ per eam undequaque producuntur. Interior, quæ nervorum staminibus ubique contextam sese profert, nuncupatur *nervosa*. Tunicæ præfatæ longè tenujores deprehenduntur in venis, ac minùs fibrosæ, quàm in arteriis. Arteriæ vicissim contrahuntur in systole, atque explicantur in diastole, non secus ac cor; quamobrem nihil aliud videntur, quàm cor ipsum productum, extenuatum, & ut ita dicam effusum per universa corporis organa. De pulsatione arteriarum id præ cæteris adnotandum, eas explicari, uno eodemque tempore, quo contrahuntur ventriculi, & viceversâ. Hoc sanè fit, quia excipere debent, non secus ac auriculæ, sanguinem, qui per systolen urgetur a ventriculis. Ac propterea arteriæ, & auriculæ adamussim sibi respondent, tum in systole, tum in diastole. Venæ pulsu carent omnino pluribus ex causis, & præsertim ob texturam membranarum longè minùs fibrosam, necnon et ob sanguinis per eas longè imminutam ebullitionem.

Munus arteriarum præcipuum est sanguinem deducere, ac propellere a cordis ventriculis in reliquas corporis partes, tum pro earum nutritione, & caloris conservatione, tum pro variâ humorum in glandulis ex-

Munus arteriarum, æquè ac venarum præcipuum.

(a) *In administr. Anatom. liv.7. cap.5.*

excretione, tum ut ſanguis magis magiſque in dies cum aliis immiſceatur humoribus, extenuetur, depuretur, digeratur, & perficiatur in organis corporis humani. Quocirca reliquus a nutritione ſanguis, atque ab humorum ſeparatione, reducitur per venas a reliquis corporis partibus in auriculas cordis. Ideoque paſſim ubique occurrunt in venis, ad earum diviſionem potiſſimùm, valvulæ quædam tenues, & leves; quæ nihil aliud ſunt, quàm minimæ expanſiones tunicæ venarum interioris, ita fermè inſtructæ, ac poſitæ, ut cedant duntaxat ſanguini refluo a reliquis partibus corporis humani per eas ad cor.

Quid ſit aorta aſcendens, & deſcendens, item & arteriæ coronariæ.

Ut æquè per aortam diſtribuatur ſanguis in univerſas regiones corporis humani, truncus aortæ communis, ut primùm egreſſus eſt a ventriculo cordis ſiniſtro, adhuc tamen pericardio incluſus, binas emittit arteriolas coronarias, quæ, utì ante innuimus, effunduntur per univerſam cordis ſubſtantiam. Extra pericardium ſurſum tendit indiviſus, & ferè rectà quatuor circiter digitos. Mox plures germinat ramos; quorum pars maxima dirimitur per partes ſupernas, per brachia videlicet, & per membra capitis, tum exteriora, tum interiora. Subinde truncus paululum decreſcit, & reflectitur ſiniſtrorſum per partes infernas. Quamplurimos quoque emittit ramos, quibus propagatur per membra thoracis univerſa, ventris imi, necnon et per crura. Quamobrem truncus iſte a ſitu, atque munere *aorta* dicitur *deſcendens*. Alter contra vocatur *aorta aſcendens*.

Ulteriores diviſiones trunci aortæ aſcendentis.

Rami aortæ aſcendentis, qui producuntur utrinque per artus ſuperiores, & brachia potiſſimùm, ad digitos uſque extremos, nuncupantur *ſubclavii*, donec uſque tamen egreſſi nondum ſint cavum thoracis. Poſtmodum ab humero ſummo ad extremum uſque manus

ex-

extremæ vocantur *axillares*. Reliqui, quorum quatuor occurrunt magis conſpicui, diſtribuuntur in *carotides*, & *vertebrales*, ſive *cervicales*. Binæ ſunt carotides, & totidem cervicales. Omnes æquè per collum ad caput aſcendunt. Carotides majores ſunt. A trunco aortæ deſcendentis altera, altera a ſubclaviâ, ut luculentiùs infra dicendum, conſurgunt per latera tracheæ, ut propaginibus inde ſuis penè innumeris per partes effundantur capitis internas, æquè ac externas. Quamobrem, digitis gulæ appoſitis, pulſare deprehenduntur trunci arteriarum carotidum. Rami autem pulſant ad tempora. Vertebrales minores per cervicem, per regionem videlicet colli poſteriorem, ad cerebrum aſcendunt, medullam ſpinalem ingreſſæ, cujus ſubſtantiam ſubeunt per foramina vertebrarum. Cervicales utrinque originem ducunt a ſubclaviis. Carotis ſiniſtra emergit a trunco maximo aortæ aſcendentis. Non ita dextera, quæ utplurimùm a ſubclaviâ dexterâ. Subclaviæ rurſus plures ramuſculos emittunt, quorum alii dicuntur *intercoſtales ſuperiores*, *muſculares* alii, alii nuncupantur *mammarii*, id nominis a partibus, quibus proſpiciunt, ducentes.

Diſtributio trunci aortæ deſcendentis.

Aorta deſcendens non procul a principio germinat, minimas producens arterias, quæ *bronchiales* dicuntur. Exinde intercoſtales emittit inferiores ubique, quarum ramos enumeramus viginti. Inter Intercoſtales, in regione ferè diaphragmatis, pullulat *phrenica*; quam ſubſequuntur arteriæ *lumbares*, *cæliacæ*, *meſeraicæ*, *hæmorrhoidales &c.* Inſigniores tamen ſunt arteriarum trunci *emulgentes*, qui a trunco aortæ communi deſcendenti producuntur ex utroque latere ad renes, quorum ſubſtantiam, pluribus diſperſi ramis, ingrediuntur. Emulgens ſiniſtra magis eminere ſolet, quàm emulgens dextera.

Quid sint trunci iliaci.

Aorta descendens ad principium ossis sacri superscandit venam cavam descendentem; mox finditur in truncos iliacos, qui, nonmodò effunduntur per pudenda, per regionem umbilicalem, hypogastricam &c.; verùm etiam producuntur per artus inferiores ad pedes usque extremos.

Quid intersit discriminis inter aortam, & cavam.

Quicquid innuimus de distributione arteriarum, dictum quoque volumus de distributione venarum; eo tamen discrimine, quod truncus venæ cavæ longè amplior deprehenditur in exortu, quàm truncus arteriæ magnæ. Insuper truncus venæ cavæ, nondum egressus a pericardio, in truncum dividitur ascendentem, & descendentem. Præterea venæ, quæ in trunco venæ cavæ arteriis respondent carotidibus, ab Anatomicis dicuntur *jugulares*.

CAPUT XXIII.

De Thymo.

Quid sit thymus

IN parte thoracis supernâ, e regione juguli, ibi fermè, ubi arteria aorta, & vena cava ascendentes dividuntur, offendimus, inter subclavias, corpus quoddam glandosum, valdè molle, spongiosum, albicans, quod duabus utplurimùm, vel tribus congregatur glandulis minoribus. *Thymus* dicitur. In pueris, & fœminis longè major esse solet thymus, & mollior, item et in vitulis, atque hædis. Quocirca in deliciis conviviorum habetur.

Quid sit thymi structura, & usus.

Arterias, venasque habet a proximis carotidibus, & jugularibus. Nervos a pari vago. Habet quoque lymphæ ductus, quos præ cæteris in vitulis observamus. Lymphæ ductus a thymo producuntur in venas axillares. An tamen emergant a thymo, nec ne, ad-

huc

huc obſcurum eſt. De ductu thymi excretorio nondum habemus, qui illum obſervaſſe affirmet, ſedulò licèt in hunc finem accuratiſſimè rimati ſint thymi texturam plerique Recentiores. Quod maximam porrò nobis ſuſpicionem facit, an reverà glandula ſit. Enim verò glandulas haſce habent nonnulli, tanquam lymphæ, chylique diverticulum a ductu thoracico; quod longè probabiliùs evaderet, ſi fides Bartholino habenda ſit, qui thymum lacte turgidum in recèns natis non ſemel obſervaſſe profert. Regnerus de Graaf humore potiùs quodam limpidiſſimo thymi glandulas turgentes vidiſſe affirmat. Quamobrem adſunt inter Recentiores, qui opinantur, thymum glandulam eſſe conglomeratam, fidenter ſibi ſuadentes, præcipuè inſervire humori a ſanguine ſecernendo, qui colligitur in pericardii cavo.

ANIMADVERSIONES PHYSIOLOGICÆ.

Quod cor moveatur motu quodam pulſatili, qui ſyſtole, & diaſtole jugiter alternetur, id obſervatio ſenſibilis luculenter declarat. Quod motus hujuſmodi, ut vita humani corporis organica conſervetur, neceſſariò exigatur, id quoque ſenſibus noſtris procul ab omni dubitatione abundè ſatis percepimus. An autem ab influxu ſpirituum animalium, an a motu ſanguinis circulari, an a fermentativo, an a ſolâ fibrarum ſtructurâ mechanicâ, motus cordis præfatus vitalis excitetur, id non ſatis hactenus exploratum habemus; eoque minùs, quod in vilioribus inſectis nonmodò, verùm etiam in nobilioribus, necnon etiam in avibus præſertim rapacibus, in anſeribus, & in ipſis quadrupedibus adhuc viventibus, corde quamvis reciſo, pulſationes in ventriculis, æquè ac in auriculis ad aliquot ſaltem tempus alternari deprehendimus, ſpirituum

Res eſt valdè adhuc incerta, quâ ratione cor moveatur.

quamvis per nervos influxu, æquè ac motu ſanguinis circulari omnino præcluſo &c. In re tam dubiâ, tamque difficili, ac penè inextricabili, non ſecus ac in aliis ejuſdem generis, quicquid alii probabiliùs protulerunt, et nos donec novi aliquid, quod veritati magis conſonet, ſive mathematicè demonſtrando, ſive phyſicè experiundo, nobis excogitare datum ſit, cum eâdem probabilitate proferre contenti erimus.

CAPUT XXIV.

De Sanguinis Conſtitutione, ac Motu.

Declaratur ſanguinis conſtitutio, & varius motus.

QUum ſanguis, utì monuimus, duplici conſtet humore ſenſibili, *ſero* nempe, ac *cruore*, negare haud debemus, quum id vel ſenſibus appareat, partem fluidam eſſe corporis humani viventis diſſimilarem, quæ duabus ſaltem partibus non ejuſdem generis congregetur. Verùm enim verò, quia poſito cruore, poſitoque ſanguinis ſero, poſitis videlicet in maſſâ ſanguinis partibus iis ſolis, quas ſenſibus attingimus, neque percipere, neque explicare poſſumus, per haſce partes ſenſibiles, innumeras penè affectiones, quibus ſanguis & ſecundùm, & præter naturam affici ſolet in corpore humano vitam habente, neceſſitate adducimur, ut inducamus præter præfatas partes ſenſibiles, & alias inſenſibiles, quibus & ſerum, & cruor compingitur, maſſæ ſanguinis ineſſe. Quod, ut ſatiùs innoteſcat, præſcire juvat, triplicem eſſe ſanguinis motum, qui corporis humani vitam animalem, atque organicam excitare, fovere, & conſervare valet. Unus dicitur *fluiditatis*. Alter *fermentativus*. *Progreſſionis* tertius, ſive *localis*.

Quid ſit motus ſanguinis fluiditatis.

Motus Sanguinis fluiditatis, eſt motus ille ſangui-

guinis inteſtinus, quo fluit ſanguis, quo videlicet ſanguis eſt de genere fluidorum: atque adeo, quo diſtinguitur a mixtis ſolidis, quæ arginibus, ſive terminis alienis, ut cum Philoſopho loquar, licèt non detineantur, attamen conſiſtentes in ſeipſis nequaquam effunduntur.

Motus ſanguinis fermentativus, eſt motus ille ſanguinis inteſtinus, quo maſſa ſanguinis intimè ſeſe exagitans, efferveſcit, ebullit, calorem ſuum naturalem ſibi nacta fovet, conſervatque: alteratur, digeritur, extenuatur. Per motum hujuſmodi fermentativum ſanguis eſt de genere mixtorum, quæ fermentationis ope incaleſcunt, non ſecus ac muſtum in doliis recèns conditum, cereviſia &c. Quid ſit motus ſanguinis fermentativus.

Motus ſanguinis localis, ſive progreſſionis, eſt motus ille, ut ita dicam, exterior, quo ſanguis de loco in locum ſubinde per vaſa ſanguifera in gyrum movetur ad irrigandas univerſas humani corporis partes viventes, tum exteriores, tum interiores; quas iccirco irrorat, humectat, calefacit, vivificat, & nutrit. Per motum localem, ſive progreſſionis haberi poteſt ſanguis de genere *projectorum*, ſive *propulſorum*, de quibus prolixè in Tractatu de Motu verba fecimus. Quid ſit ſanguinis motus localis.

Motus ſanguinis fluiditatis, utì ex phyſicis habemus, non ſecus ac in reliquis mixtis fluidis, item et in eodem ſanguine, provenit a motu ætheris illius, qui minimas ingreditur intercapedines minimorum ſanguinem componentium. Æther enim eſt, utì alibi palam fecimus, & præſertim in Tractatu de Motu: æther eſt, inquam, qui per rapidiſſimam Orbium vertiginem, validè, ac celerrimè exagitatus, concitatuſque, ſeſe immittit inter moleculas mixta fluida componentes, quas iccirco movet, exagitat, atque huc illuc impellit, & præſertim ab interioribus verſùs exteriora &c. Unde, penes nos, probabiliter provenit motus ſanguinis fluiditatis.

Mo-

Unde, penes nos, probabiliter provenit motus sanguinis fermentativus.

Motus fermentationis excitatur in ſanguine, eo-quòd ab ęthere, materiâ ſecundi generis penitus exclusâ, ſola per poros minimorum maſſam ſanguinis componentium moveatur materia primi generis; quæ hoc in caſu motum longè majorem ſibi comparat, moleculas ſanguinis minimas longè validiùs circumagit, eaſque intimè ſubit, ſolvit, infringitque.

Unde, penes nos, provenit probabiliter motus ſanguinis localis.

Motus ſanguinis localis, ſive progreſſionis producitur in corpore humano per ſyſtolen potiſſimùm cordis, arteriarumque; quarum parietes ſeſe contrahentes, ſanguinem contentum urgent, comprimunt, atque, ut ita dicam, exprimunt; qui, valvulis reluctantibus, quum retrocedere nequeat cor versùs, neceſſe eſt, ut ulteriùs procedat: a cordę nimirum in arterias, ab arteriis in venas, a venis in auriculas cordis, ab auriculis in ventriculos, a ventriculis iterum in arterias, & ſic deinceps, tanquam a centro corporis humani ad circumferentiam, atque a circumferentiâ, utì diximus, ad centrum &c.

Calor naturalis in corpore humano vitam habente provenit a calore ipſius ſanguinis.

Motus ſanguinis præfatos ad vitam, æquè ac ſanitatem corporis humani conſervandam adeo neceſſarios exiſtimamus, ut nonniſi per ipſos, quicquid paſſim contingere ſolet in homine vitam habente, ratione corporis organici, aut proximè, aut remotè fieri poſſe autumemus. His de triplici ſanguinis motu naturali per vaſa ſanguifera ita prælibatis, adnotandum ſupereſt, calorem illum naturalem, quo corpus humanum adhuc vivens fovetur, exoriri a ſanguine, qui per organa in gyrum movetur; qui quodammodo fervet, atque intus ebullit, atque adeo partes, quas alluit, blandè calefacit.

Triplex ratio, quà in corporibus mixtis calor excitatur.

Calor in mixtis, uti habemus quoque ex phyſicis, provenit a motu quodam inteſtino minimorum corpora mixta componentium; qui, experientiâ teſte, inducitur in mixtis, ſive *igne admoto*, ſive *mutuo ſolido-*

dorum attritu, five *fermentatione*. Igne admoto toties fuccenditur materia combuftibilis, & calefiunt corpora omnia, quoties vel ea ad ignem, vel ignis ad ea admoveatur. Mutuo folidorum attritu excutimus ignem ex filice. Inflammatur, quum per axem in curru celeriter circumagitur rota &c. Fermentatione effervefcit, utì monuimus, & muftum, item & cerevifia in doliis; calx viva, tum quum aquâ folvitur communi &c; in quibus fanè minimæ partes componentes folvuntur, moventur, exagitantur, unà & refolvuntur ab æthere tenuiffimo, de quo non femel ex profeffo loquuti fumus. Hoc pofito, ita ratiocinari debemus. In fanguine non inducitur igne admoto. Non mutuo folidorum attritu. Ergo per fermentationem. Non inducitur igne admoto; commentitium quippe, ac planè chimericum flammulam ducimus ineffe vifceribus naturaliter fuccenfam, aut calorem infitum, hifque fimilia, quæ non modo Veteres, verùm et ipfe Cartefius fabulatus eft. Non inducitur mutuo folidorum attritu; fanguis enim fluorem quamvis habeat, qui propterea quamvis in gyrum moveatur, motus tamen is per tubulos progreffionis idoneus nequaquam videtur calori in eo fufcitando; quando quotidiè obfervamus motus hujufmodi longè validiores in fluminibus decurrentibus, quin aqua ita decurrens, vel minimum, per alveum, ac litus, validiffimè quamvis affricetur, incalefcat. Concludendum itaque fupereft, induci in fanguine per fermentationem: ideft per motum quendam inteftinum, quo, utì monuimus, minimæ partes fanguinis componentes ab æthere concitatæ exagitantur, & præcipuè a materiâ primi elementi, ut alibi fusè docuimus.

Quod quum ita fit, rationi confonum videtur inferre, fanguinis maffam congregari particulis quibufdam, quæ fen-

Quænam fint minimæ partes, quæ probabiliùs maffam fanguinis conftituant.

ſenſus noſtros minimè licèt afficiant, fermentationi concipiendæ plurimùm tamen idoneis: *alkalicis* nempe, atque *acidis*; quæ, utì in Tractatu de fermentatione palam fecimus, ſunt principia fermentationis. Quia autem fermentatio ſanguinis, ſuaptè naturâ, lenis eſſe ſolet, ideoque præter partes præfatas alkalicas, acidaſque, quæ, ratione fermentationis, veluti cauſa proxima efficiens, & propriè occaſionalis habendæ ſunt, per eas quippe, tanquam per conditiones neceſſarias proximè quaſi excitantur, ponamus neceſſe eſt, in maſsâ ſanguinis partes alias, quæ fermentationem nimiam temperant, & quodammodo coerceant; quales ſunt particulæ ſanguinis oleaceæ, butyraceæ, ſive balſaminæ, quas ſulphureas vocamus; quæque, utpote molles, flexiles, plicatiles, ac in minimos veluti ramuſculos ubique diſtractæ, effuſæque, aliis immixtæ, præſtant, eas implicando, ne cum impetu in fermentatione circumagantur. Quapropter in maſsâ ſanguinis, ut calorem fermentativum corporis humani viventis explicemus, unà et reliquas omnes proprietates, tum naturales, tum præternaturales, ponamus oportet, & partem *alkalicam*, & partem *acidam*, & partem *ſulphuream*, ſive *balſaminam*. Reliquæ ſi quæ præter haſce inſint in ſanguine partes conſtituentes; *aquoſæ* videlicet, ſive *phlegmaticæ*, *terreſtres*, ſive *tartareæ* ab iis diverſæ, ibi potiùs inſervire autumabimus, tanquam vehiculum, & tanquam menſtruum ſolvens, quod reliquas ſolvat, atque hinc inde vehat, & veluti frænum eas detineat, ne ob volatilitatem nimiam extenuatæ, planè in auras evaneſcant.

ANI-

ANIMADVERSIONES PRIMÆ.

Declaratur quicquid nos intelligere velimus, quando dicimus alkali, acidum, sulphur, aquam, & terram, ratione constitutionis sanguinis.

SI quis inter Chymicos, probè, ac maturè philosophandi indoctus, objiciat, partem acidam neutiquam elici a sanguine, hunc rogamus primò, ut, quæso, ostendat, neque ignem, neque menstruum aliud solvens ab igne diversum delevisse, ac omnino destruxisse, sive comminuisse, vel adeo saltem extenuasse partem sanguinis acidam, ut ipsa imposterùm acorem suum haud potuerit amittere: quod profectò plurimùm difficile censemus. Atque id si nihilominus fecerit, respondemus, partem eam sanguinis *acidam* dixisse, non quia saporem reverà præseferat acidum, verùm quia eosdem propemodum effectus præstare valet in fermentatione sanguinis, quos præstare solent particulæ acidæ cum alkalicis effervescentes; adeo ut, ratione fermentationis calcis vivæ tum quum solvitur aquâ communi, non secus ac *alkali* habetur *calx viva*, ita et *acidum* haberi poterit *aqua communis*, insipida quamvis, atque acoris intrinsecè prorsus expers &c. Quicquid dicimus de parte sanguinis acidâ, idem fermè dicendum existimamus de parte alkalicâ, de parte oleaceâ, sive sulphureâ ejusdem sanguinis. Quapropter in eo discrepare non placuit a chymicis cordatioribus, qui observando, & ratiocinando, rem potiùs, quàm voces in rebus medicis pervestigare aggrediuntur, cum quibus propterea *alkalicas* appellamus particulas quasdam sanguinis magis raras, ac pervias. Dicimus *acidas* particulas alias nonnullas ejusdem sanguinis solidiores, magis compactas, ac penè impervias, quæ sive spicula habent, sive excessus quosdam, sive sunt in minimos aptatæ cylindros, qui pervadere queunt spiracula, vel meatus minimos insensibiles partis alkalicæ; a quibus propterea

omnino exclusâ materiâ secundi generis, sanguinis fermentatio suscitatur. *Sulphureas* dicimus particulas alias sanguinis molles, flexiles, plicatiles, & nimiæ sanguinis fermentationi cohibendæ plurimùm idoneas. *Phlegma*, sive *serum*, sive *lympham* sanguinis dicimus partem eam sanguinis fluidam, quæ reliquas solvit sanguinis partes, ut vim suam, nisum, sive virtutem opportunè exerere valeant. *Caput* tandem *mortuum*, sive *tartarum*, sive *terram* dicimus sanguinis, quicquid crassioris magis gravitat in massâ sanguinis, ac per eam fluitando, tanquam frænum cohibet reliquas sanguinis partes leviores, volatilioresque, ne præ nimio motu concitatæ dissipentur. At enim verò a vocibus præfatis si quis adhuc abhorreat, plenam æquo animo ei facimus potestatem, ut non procul ab hypothesi Galenicâ appellare ad libitum possit partem sanguinis sulphuream *sanguinem strictè sumptum*, *bilem* partem alkalicam, acidam *melancholiam*, sive *atrambilem*, phlegmaticam *pituitam*; dummodo cum nobis unanimi consensu, quicquid vocibus istis in Re medicâ designare velit, clarè, & distinctè exponat.

ANIMADVERSIONES SECUNDÆ.

Opinio galenica item et chymica, ratione partium, quæ massam sanguinis constituunt.

SAnguis, veluti pars dissimilaris vel a Priscis olim habebatur, quam quatuor iccirco humoribus præcipuis constare tradebant, *sanguine strictè sumpto*, *pituitâ*, *bile flavâ*, *atrabile*, quam *melancholiam* item appellare consueverunt: sanguinem strictè sumptum humorem esse affirmantes sanguinis peculiarem *calidum*, atque *humidum*: pituitam humorem *frigidum*, atque *humidum*: bilem flavam, *calidum*, & *siccum*: atrambilem, sive melancholiam *frigidum*, & *siccum*: id elementorum ad normam quatuor Aristotelis, *aeris* nempè, *aquæ*,

aquæ, *ignis*, & *terræ*. Hinc pro hujus, vel illius humoris in ſanguine exceſſu diverſa corporis humani viventis excogitabant Galenici temperamenta; atque affectiones ferè omnes, ſive omnis intemperies ejuſdem corporis humani viventis pro eorum exceſſu, aut defectu exoriri decreverunt. At enim verò vetus iſta opinio, detecto præſertim motu ſanguinis circulari, plurimùm ſuſpecta eſſe cepit Recentioribus; qui per analyſin iccirco chymicam in maſſam ſanguinis acriter inquirentes, alia ſanguinis principia enucleare aggreſſi ſunt; proferentes, cum Williſio præſertim, quinque eſſe partes præcipuas, quæ ſanguinis maſſam conſtituunt, *ſulphuream*, *alkalicam*, *phlegmaticam*, *terreſtrem*, atque *acidam*; eo tamen diſcrimine, quod pars ſulphurea, & phlegmatica præ cæteris maxima ſit, pars acida, & terreſtris minima, vixque ſenſibilis; proferentes prætereà partem ſulphuream, alkalicam, & phlegmaticam volatiliorem eſſe, quæ propterea de facili diſſipatur, atque evaneſcit. Fixam contra affirmant, partem eſſe acidam, & terreſtrem; eoquòd, ſanguine ad ignem admoto, reliquis evaneſcentibus, ſalia acida, ac pars terreſtris reſiſtunt; quocirca, vel fundo ſubſidunt vaſorum, vel lateribus adhæreſcunt ſub formâ, ſive *ſalis*, ſive *tartari*.

Quare opinio galenica, item et chymica hìc nobis improbanda videatur.

Principia Chymicorum præfata, ſive elementa, accommodata magis licèt videantur viciſſitudinibus penè univerſis, quæ ſanguinis causâ corpori humano vitam habenti occurrunt, exponendis, explicandiſque; attamen ea quoque, non ſecus ac Galenicorum humores, maximas patiuntur difficultates; & ea quamvis, ſive ignis, ſive aliorum menſtruorum ope per chymicos à ſanguine eliciantur, ſuſpicari adhuc poſſumus, neque injuriâ, ne per ignem, neve per alia menſtrua ab igne diverſa planè immutentur, & de novo quaſi excitentur

M 2 ob

ob mutuam unionem particularum, sive menstrualium, sive earum, quæ per ignem in materiâ combustibili exaltantur, cum aliis particulis, quas in eodem sanguine soluto offendunt. Insuper partes istæ diversæ, quas tanquam principia componentia ex corporibus mixtis educere contendit analysis chymica, extenuatæ, exaltatæ, ac defæcatæ quantumvis sint, crassissimæ tamen haberi debent ratione earum, quæ, & ob maximam tenuitatem sensus nostros fugiunt, & eoquòd concitatissimæ sint, in vasis, optimè licèt stipatis, detineri minimè possunt, ex quibus, in sanguine præsertim, provenit calor, & reliquæ qualitates, tum expositæ, tum exponendæ. Atque adeo nescio quid *dogmatici* redolere existimandum ducimus hypothesin Galenicam, quæ observationibus minimè respondet. Nescio quid *Empirici* chymicam, quæ, rationibus omnino posthabitis, sensibus fidit nimis. Ea contra, quam cum aliis non ita pridem et ipsi excogitavimus, quam hìc proposuimus, quamque per varias observationes sensibiles ratiocinando eduximus, experientiæ, æquè ac rationi innixa videtur.

ANIMADVERSIONES TERTIÆ.

Ea, quæ nos dicimus principia fermentationis, impropriè principia, sive elementa dicuntur.

F*Ermentatio* in genere nihil aliud est, quàm *motus quidam intestinus minimorum mixta componentium, quo, solutâ mixtorum compage, mixta immutantur, digeruntur, & quandoque omninò destruuntur, de aliâ in aliam formam transeundo*. Motus iste intestinus in mixtis fermentando idoneis inducitur a materiâ quadam tenuissimâ, maximè mobili, ac maximè concitatâ, quam nos *primi generis*, sive *primi elementi* in physicis nuncupavimus, quæque per eorum minimos meatus, perque eorum intercapedines, soluta, ac li-

libera, & sui, ut ita dicam, juris facta, celerrimè movetur, atque exagitatur. Id pluribus quamvis ex causis contingere possit, fermentationem passim tamen suscitari observamus in mixtis alkalicis, quæ salia imbibunt acida. Quocirca acidum, atque alkali penes chymicos plerosque habentur veluti principia, sive veluti fermentationis elementa. Perperam utique, quum neque principia, neque elementa propriè dicenda sint. Non dicenda sunt principia, quia, utì diximus, & utì dicturi sumus, sunt corpora completa, quæ *materiam* suam, & *formam* habent peculiarem. Non dicenda sunt elementa, quandoquidem elementa, corpora licèt completa sint, simplicissima esse debent, quæ propterea aliis corporibus simplicioribus haud componuntur. *Elementa* enim, penes Physicos, sunt *corpora completa, simplicissima, quæ reliqua corpora mixta componunt, & in quæ postremò sive resolvuntur, sive resolvi possunt eadem corpora mixta, quæ iis componuntur*. At acidum, item et alkali tantam neutiquam habent in rerum naturâ simplicitatem, ut et aliis corporibus completis simplicioribus non componantur, atque in alia simpliciora resolvi nequeant. Quicquid de acido, & alkali innuimus, dicendum quoque videtur de reliquis chymicorum elementis, quæ vires suas exerere, easque in naturâ exercere minimè possent, nisi essent corpora mixta, moleculis videlicet conflata materiæ tertii generis, sive tertii elementi, de quibus in dissertationibus nostris de Fermentatione, necnon etiam in Tractatu præsertim de Motu, satis superque loquuti sumus.

ANI-

ANIMADVERSIONES QUARTÆ.

Brevì desctibitur salium varietas, & natura.

Nil quamvis antiquiùs in Re medicâ, atque usitatiùs, adhuc tamen incertum, obscurum, atque ambiguum est, quid id nominis *sal* verè designet. Sal, sive Græcis *Hals*, vulgò dicitur mixtum quoddam, sive naturale, sive artificiale, aut crystallinum, aut veluti crystallinum, quod aquâ facilè solvitur, ac denuò, uti priùs, aquâ præsertim absumptâ, evaporatâque, concrescit. Hinc salium duplex classis, *naturalium* nempè, atque *artificialium*. Salia naturalia, vulgò sunt *commune*, sive *marinum*, *sal gemmæ*, *nitrum*, *alumen*, *ammoniacum*, *vitriolum*, & reliqua, si quæ alia in fodinis suis peculiaribus congregentur, de quibus præ cæteris Schroderus, Hoffmannus, Ettmullerus, Lemery, novissimè Guglielmini, & reliqui profusè scripsere. Artificialia eliciunt chymici ex triplicis generis materiâ, *vegetabili* scilicet, *animali*, & *minerali*, quæ quum sint penè innumera, hìc prolixè recensere non lubet. Id tantùm pro instituti ratione hìc adnotare satis sit, salia artificialia distingui in *essentialia*, & *cinericia*. Essentiale dicitur sal, quod elicitur ex decoctionibus mixtorum naturalium, & potissimùm plantarum, eoquòd participare credatur de naturâ, sive essentiâ mixti illius naturalis, unde elicitur. Cinericium vocatur sal, quod ex mixtis naturalibus, per combustionem in cinerem pridem versis, educitur. Præterea salia in genere modò dicuntur *fixa* a Recentioribus, modò *volatilia*, modò *fusa*, modò *concreta*. Dicitur fixum sal, quum vel ad ignem admotum concrescit potiùs, quàm sivè fundatur, sivè in auram exaltetur. Volatile dicitur, quum aut ignis calore, aut Solis, aut aliâ de causâ exaltetur, atque eva-

evanefcat . Dicitur fufum , quum fub formâ humoris , liquidâ nempe , fefe perhibeat . Dicitur concretum , quum in fubftantiam folidam concrefcat . Salia tum fixa, tum volatilia , tum fufa , tum concreta , tum artificialia , tum naturalia , tum effentialia , tum cinericia , *acida* quandoque nuncupari folent , quandoque *alkalica* , quandoque *acria* , quæ utplurimùm alkalica , item et acria funt . Dicuntur acida , fi particulis congregentur oblongis , acutis , non friabilibus , & quodammodo fcindentibus . Dicuntur alkalica , quæ friabilia funt , ob meatus minimos innumeros , five ob minima fpiracula infenfibilia , quibus perviæ , atque adapertæ undequaque , fefe perhibent moleculæ eorum componentes , particulis acidis imbibendis , deftruendifque idoneæ . Alkali enim nihil aliud fonat , penes faltem Lexicographos nonnullos , quàm *acido inimicum* . Acria tandem dicuntur , fi præter infenfibiles meatus fuperficiem habeant afperam , rudem, atque, ut ita dicam, ob varias, quæ extuberant , particulas angulares , plurimùm inæqualem ; quæ iccirco fcindit , lacerat, abfumit , exedit , & quodammodo adurit , linguam præfertim, & fauces, quibus falia præfata acria apponuntur . Hinc perperam vulgò falia acria cum acidis interdum confunduntur . Salia acida quippe refrigerare, acria contra incendere potiùs valent , utì deinceps , ubi de Elementis luculentiùs, dicendum erit .

C A P U T XXV.

De Vita , & Morte Hominis .

Quid fit in homine Anima rationalis .

QVandiù corporis organa in homine ritè fint conftituta , ac per vafa fanguifera quandiù appofitè fanguis in gyrum moveatur , ac reliqui per ductus

ctus suos peculiares ritè fluant humores, tandiu & *vivere*, & *sanus*, ac prosperè vivere dicitur homo, ratione corporis organici. Vita tamen ejusmodi est hominis planè *corporea*, *materialis*, atque, ut ita dicam, mechanica, quam cum brutis communem habet. Verùm enim verò, quum animal ratione præditum homo sit, vitam habeat item necesse est rationalem, cujus ope cogitet, percipiat, judicet, ratiocinetur. Hinc inferre debemus vitam humanam, non tantùm emersisse ex vario organorum motu, quæ humoribus per ea decurrentibus concitantur, ut perperam, quam impiè non minùs præ cæteris olim somniavit Democritus; verùm etiam ex variis cogitationibus, quas elicimus a substantiâ quadam incorporeâ, materiæ prorsus, item et corruptionis experte, quæ corpus nobis informat organicum; eique intimè unitur, carnem intrinsecè animans humanam. Substantiam hanc spiritalem, incorpoream, materiæ prorsus expertem, immortalem, *Animam* propterea vocamus *humanam*. Hanc dicimus *Mentem humanam*, sive potiùs *spiritum hominis* rationalem.

Quid requiritur, ut homo integrè vivat

Carnem animat humanam, secus enim neque ullum ab organis percipere posset homo sensum prorsus incorporeum, neque ullum in organis ad nutum voluntatis motum excitare. Hinc ad vitam humanam requiritur primò, *prioritate* saltem *naturæ*, ut vivat, ut ita dicam, *materialiter* corpus humanum organorum ope, quibus construitur. Secundò requiritur, ut anima vivat rationalis, quæ, corpus licèt in homine destruatur, ipsa, quum sit prorsus incorporea, & iccirco immortalis, destrui minimè potest. Requiritur tertiò, ut ea conservetur unio, quâ anima humana rationalis organis intimè consociata corpus informat humanum, tanquam hominis *forma substantialis*, & peculiaris. Vi-

Quid sit vita corporis humani materialis.

Vitam corporis humani materialem describere possumus, *actionem esse, sive motum organorum, qui vel proximè, vel remotè provenit in corpore humano a motu præsertim sanguinis circulari per meatus sanguiferos: idest a motu; sive potiùs a pulsatione cordis*, quod est organum, utì diximus, præcipuum, cujus ope sanguis in gyrum propellitur per organa præfata; atque adeo est organum præcipuum, quo reliqui omnes impelluntur humores, quibus in organis motus vitales excitantur.

Quid propriè sit vita animæ rationalis.

Vitam animæ incorporeæ, sive rationalis, quæ propterea necesse est, ut vita sit omnino spiritalis, dicendum est, *actionem esse purè spiritalem mentis incorporeæ; quâ, utpote rationalis, cogitando, percipit, judicat, atque ratiocinatur*.

Quid sit vita hominis.

Vitam hominis inferre debemus, *actionem esse quandam mutuam, quâ organorum motus, licèt materiales, excitare valent cogitationes nonnullas animæ, sive mentis materiæ prorsus expertis, quæ organa informat, & quâ alternatim cogitationes animæ, spiritalis licèt, excitare possunt, in organis per eandem animam informatis, motus quosdam peculiares, ob eam videlicet intimam unionem, quâ anima rationalis corpus in homine organicum informat*. Atque, ut id cuique satiùs innotescat, ponamus ex. gr., radios lucis reflexos ab objecto visibili per pupillam immissos, ac per humores oculorum infractos retinam ita movere in bulbo, ac per retinam fibras opticas, sive potiùs substantiam interiorem in nervis opticis, ut ex sensorio communi visionem excitent, speciem nimirum cogitationis, sive sensus quam *visionem* appellare consuevimus; quæ profectò in homine corporeo sine animâ incorporeâ fieri minimè potest. Hæc est *cogitatio* mentis incorporeæ, utì patet, excitata in homine vitam habente per mo-

tus organorum materialium. Ponamus è converso, eandem mentem incorpoream imperando exegisse, ut in corpore humano, quod informat, flectatur ex. gr. brachium. Flectitur statim brachium, eâ præviâ cogitatione, ad mentis nutum, si modò sanus vivat homo, eoquòd spiritus animales, veluti ex præscripto mentis ita imperantis, propellantur a cerebro per nervos in fibras motrices musculorum, qui brachio flectendo inserviunt. Motus ejusmodi est *motus* organorum materialium, qui elicitur in corpore humano vitam habente per cogitationem mentis incorporeæ, ideft materiæ prorsus expertis, quæ corporis organa informat; & qui iccirco excitari in organis nequaquam potuisset, nisi ab animâ incorporeâ essent intimè informata.

Quid sit mors in eodem homine, qui vitam priùs habebat.

Ex quo inferre debemus, quum cesset unio præfata in homine inter animam humanam, & corpus organicum, quod in eo ab eâdem animâ informatur, tum cessare quoque actionem eorum mutuam, quâ, utì ante jam diximus, homo, utpote animal rationale, vivit. Quo in casu *moritur* homo: destruitur videlicet in rerum naturâ animal illud rationale, quamvis anima rationalis vivat inde seorsim ab eo corpore humano, quod pridem informaverat. Corpus autem humanum, adhuc licèt subsistere quodammodo posset, ratione figuræ exterioris, non ampliùs vivit; quinimmo formam sibi inducens cadavericam, quatenus mortale, paulatim subinde destruitur. Hinc dicitur *cadaver*, sive corpus humanum extinctum, simul atque in eo cessaverit actio, sive motus organorum vitalis, qui, utì diximus, sive proximè, sive remotè provenit a motu sanguinis circulari, videlicet a motu cordis pulsatili. Inde liquet, quod Medicus clinicus, ut vivat homo in rerum naturâ, sanitatem, & vitam cor-

po-

poris organici planè reſpicere debet; quandoquidem tandiu ſanus erit, & tandiu ſibi vitam in terris ſervabit, quandiu in eo ſanitas, & vita corporis organici manere, ac vigere poterit.

ANIMADVERSIONES PHYSIOLOGICÆ.

COr, ut ex iis, quæ hactenus innuimus, abundè colligitur, haberi debet veluti fons, & principium vitæ organicæ corporis humani viventis. Tripliciter vitam, methaphyſicè ſaltem cogitando, ratione hominis actu viventis, conſiderare expedit. Ratione nimirum: *corporis organici viventis* in homine defecturi, quod ab animâ incorporeâ, non defecturâ informatur: *animæ*, ſive mentis incorporeæ, in homine non defecturæ informantis: *totius hominis*, qui conſurgit ex mutuâ unione corporis organici, ac animæ, ſive mentis incorporeæ; quæ veluti partes conſtituentes ex lege divinâ conſociantur in rerum naturâ, ut animal illud præſtantiſſimum ratione præditum *Hominem* conſtituant; qui, quandiu inter corpus organicum, atque animam incorpoream unio præfata conſervetur, tandiu vivat ſtatutum eſt. Unio autem iſta tandiu in homine conſervari debet, quandiu in eo vita corporis organici conſervetur, utì fuſiùs in ſequentibus, & luculentiùs exponam.

Triplex vita hominis, quandiu vivit homo, methaphyſicè tantùm diſtinguitur.

C A P U T XXVI.

Quid ſit Sanitas Corporis humani vitam habentis.

ACtio, ſive organorum motus, in quo conſiſtit vita corporis humani viventis, ita quandoque eſt, ut munus ſuum perfectiſſimè exequantur partes ſingulæ

Definitur ſanitas corporis humani.

læ componentes; quo in casu *sanum* vivere dicitur corpus humanum; *morbo* contra affici, quum non ita se res habeat, adhuc licèt vivere possit idem corpus humanum. Quocirca sanitatem corporis humani viventis definire optimè liceat, *qualitatem quandam esse, sive statum perfectissimum humani corporis vitam habentis; in quo singulæ ejus partes, tum solidæ, tum fluidæ munus suum peculiare sive absolvunt opportunè, sive absolvere valent*. Hinc illud Galeni (a). *Non operari, sed posse, est sanum esse*. Quocirca appositè sanitatem describens, nil aliud esse tradit Sennertus, quàm *eas, quæ secundùm naturam sunt, actiones exercendi potentiam ex partium omnium naturali constitutione dependentem*. Ex quibus subjectum sanitatis esse liquet *corpus humanum vivens*, partes scilicet corporis humani vitam habentis. Etenim, quæ haud vivunt, quibus propterea actiones naturales edendi nulla facultas est, neque *sanæ*, neque *ægrotantes* planè dicendæ sunt.

Quo pacto sanum, & morbo affectum se esse cognoscit homo.

Ut rectas edant actiones partes corporis humani viventis, necesse est, ut optimè sint constitutæ. Quamobrem, ut causam sanitatis efficientem, & conservantem hauriamus, sedulò, solerterque ea omnia perpendere, atque explorare debemus, quæ exiguntur ad constitutionem naturalem partium, quæ organa componunt corporis humani vitam habentis. Hinc est, quod in Physiologiâ considerare consueverunt Majores *Elementa, Temperamenta, Humores, Spiritus, Calidum innatum, Partes, Facultates*, atque *Actiones*, item et *Generationem* ejusdem corporis humani; in quo partes componentes plurimùm, ex eorum sententiâ, suscipere, redolere, ut ita dicam, & retinere solent qualitatis seminis illius, ex quo in conceptione consurgunt. Nos item, ne Veterum institutum pervertamus, ea omnia

in

(a) *De Morb. diff. cap.2.*

in hoc Tractatu, quem præ manibus habemus, hinc inde sparsim, prout res exegerit, dilucidè non minùs, quàm breviter declarabimus. Interea temporis, antequam ulteriùs procedamus, adnotemus hìc oportet, quasi in limine, se vivere non aliâ de causâ hominem cognoscere, nisi ex variis sensibus, variisque cogitationibus, quæ in mente incorporeâ, quæ corpus animat humanum vivens, excitantur per organa corporea ab objectis sensibilibus, quæ ea, alterando, quodammodo afficiunt. Secundò adnotemus oportet, se sanum esse sentire ex voluptate quâdam intimâ, ut ita dicam, & perfectâ, quæ provenit, & conservatur in eâdem mente incorporeâ, ab optimâ organorum constitutione; quæ, nisi optima sit, aut permolestas doloris, sive mæstitiæ cogitationes, aut pravas, licèt suaves, ut in amentibus non raró contingit, aut nullas, ut in apoplecticis, elicere, & fovere solet. Id profectò, quia homine vivente, ob mutuam unionem corporis organici, & spiritus incorporei, necesse est, ut anima humana, quamvis incorporea, utì alibi demonstravimus, sentiat, eo quo possit modo, affectiones corporis illius organici, quod informat; non secùs ac idem corpus organicum informatum affici quoque debet in affectionibus animæ informantis, quamvis ipsa materiæ prorsus expers sit. Id in dies experimur in animi præsertim motibus, qui a Græcis *pathemata* nuncupantur; & qui animam quamvis primariò afficiant incorpoream, afficere quoque solent organa ipsa corporea; in quibus propterea et morbos inducunt, atque inductos, quamvis inveteratos, sanant, sicuti in mœrore præ cæteris, gaudio, amore, odio, atque irâ contingere observamus.

ANI-

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quid sit hominis interitus, sive destructio in rerum naturâ.

HIs præmissis, longè satiùs elucescit quicquid tum de vitâ, tum de sanitate, tum de morbo, tum de interitu corporis humani viventis, æquè ac totius hominis pridem innuimus. Elucescit nimirum, vitam corporis humani *actionem esse, sive motum organorum, qui vel proximè, vel remotè provenit in corpore humano vitam habente a motu sanguinis, & præsertim circulari, sive progressionis, per vasa sanguifera: idest a motu cordis sese vicissim contrahentis & explicantis.* Vitam mentis humanæ incorpoream, *actionem esse purè spiritalem mentis incorporeæ, quâ mens ipsa, utpote rationalis, cogitat, percipit, judicat, atque ratiocinatur.* Vitam hominis *actionem esse quandam mutuam partim corpoream, quâ organorum motus materiales excitare valent cogitationes nonnullas animæ, sive mentis incorporeæ, quæ organa corporea informat & partim incorpoream, quâ alternatim cogitationes animæ, licèt incorporeæ, excitare queunt in corpore humano organico per eandem mentem informato motus organorum purè corporeos.* Hinc manifestum item est, ut vivat homo, necesse esse: ut in eo vivat priùs corpus humanum: ut inde vivat mens humana ei infusa, atque, ut ita dicam, intimè consociata tanquam forma hominis substantialis: et ut unio conservetur inter *copus humanum* organicè, ut ita dicam, vivens ab animâ informatum, & inter *mentem humanam* spiritaliter viventem, quæ præfatum corpus humanum organicè vivens informat. Ex quo liquet, ut vita hominis tandem aliquando destruatur, vitæ humanæ destructioni, *prioritate* saltem *naturæ*, præcedere debuisse destructionem corporis organici. Non ita tamen opinari debemus de vitâ spiritali mentis incor-

corporeæ; quæ utpote materiæ expers omnino, nisi ad nihilum reducatur, quod in rerum naturâ planè repugnat, destrui neutiquam posset. Hinc sanitas, eoquòd in statu perfectissimo sita sit, reverà neque augeri, neque imminui potest. Ægritudo autem modò magis, modò minùs intenditur, prout magis vel minùs pars affecta laborat, & læditur.

ANIMADVERSIONES PHYSIOL. ET PATHOL.

Triplex humani corporis vitam habentis constitutio, sive status ex Galeno.

Triplicem humani corporis vitam habentis constitutionem, sive statum esse tradit Galenus. *Salubrem, insalubrem, & neutrum*. Salubris est, in statu videlicet perfectæ sanitatis, tum quum partes ejus universæ componentes, tum solidæ, tum fluidæ ita sint constitutæ ratione tum structuræ suæ peculiaris, tum situs, tum connexionis, tum soliditatis, tum reliquarum omnium qualitatum, ut actiones omnes, tum peculiares, tum communes, individuo conservando, ac speciei propagandæ inservientes, rectè, & commodè sive absolvant, sive absolvere valeant. Quum res autem non ita planè succedat, *insalubris* habendus est; in quo tria præcipuè consideranda veniunt, *morbus, causa morbi, symptomata*; de quibus universis & in hac, & in sequenti sectione suo loco agendum. Quod quum ita sit, chimericum ducimus omnino, constitutionem neutram sibi unquam comparare potuisse corpus humanum vivens, in quâ neque sanitatem habeat, neque ullo morbo quodammodo laboret.

Variæ morborum species in genere.

Morborum, quibus aut afficimur, aut affici possumus alii vulgò dicuntur *humorales*, alii *organici*. Organicus est, qui partibus solidis inhæret. Humoralis, qui fit humorum vitio, quin partes solidæ intrinsecè affectæ sint. Morbi tum humorales, tum orga-

ganici differre ſolent inter ſe ratione *magnitudinis*, *motus*, *moris*, *eventus*. Ratione magnitudinis dicitur *magnus*, & *parvus*. Magnus dicitur morbus, qui vel impensè affligit, vel vires plurimùm labefactat. Contra dicitur parvus, Ratione motus, & præſertim durationis, modò vocatur *longus*, modò *brevis*. Brevis dicitur *acutus*, ſi cum brevitate conjunctam habeat magnitudinem. Longus nuncupatur *chronicus*, ſi longus ſit unà & magnus, non ſecus *ac hydrops*, *febris hectica &c.* Ex quibus patet nonnullas fieri poſſe affectiones in corpore humano vitam habente, quæ chronicæ ſint ratione *eſſentiæ*, atque acutæ ratione *paroxyſmi*, ut in Epilepſiâ ex. gr. contingit. Acutus triplex eſt. *Peracutus. Acutus ſimpliciter. Acutus ex decidentiâ.* Rurſus peracutus alter eſt *extremè peracutus*, alter *peracutus ſimpliciter*. Extremè peracutus adeo vehementer, atque velociter movetur, ut tertiâ vel quartâ die ſolvatur, ſive ad ſalutem, ſive ad mortem. Simpliciter peracutus ad ſeptimam uſque perducitur. Acutus ſimplex, quum ſtrictè ſimplex ſit, ad diem tendit decimamquartam. Quum laxè ſimplex ad vigeſimam, & ultra. Acutus ex decidentiâ ad diem quadrageſimam uſque perducitur; ſin autem terminos hoſce preterierit, appellatur *longus*, *diuturnus*, *chronicus*. Item & ratione motus, modò dicitur *continuus*, modò *intermittens*. Continuus eſt quum ſine intermiſſione a morbi principio ad finem producatur. Intermittens contra quum ex intervallo recurrat. Ratione moris alter dicitur *benignus*, qui leniter affligit, alter *malignus*, qui triplex eſt, *venenatus*, *peſtilens*, *contagioſus*. Venenatus eſt, qui vitæ corporis humani ob venenum, ſive aſſumptum, ſive admotum, ſive intus ob maximam humorum pravitatem, & corruptionem genitum, planè adverſatur. Peſtilens, qui malignam, & deleteriam, ideſt

ideſt perniciosam habet qualitatem, atque in omnes promiſcuè graſſatur. Contagioſus, qui ex commercio in alios quoque facilè effunditur. Ratione eventus, *ſalutaris* alius vocatur, qui nullum ſcilicet vitæ minitatur periculum. *Lethalis* alius, qui certiſſimam infert perniciem. *Periculoſus* alius, dubii videlicet eventus.

ANIMADVERSIONES AD HYGIENEN, ET THERAPEUTICEN SPECTANTES.

UT ſanitas præſens, conſtitutio videlicet ſalubris corporis humani vitam habentis, conſervetur, mentem, æquè ac animum ſedulò intendamus oportet in ea, quæ inſequuntur axiomata, quæ nonmodò ad *hygienen*, verùm et ad *therapeuticen* ſpectare videntur. Axiomàta nonnulla ad praxim medicam ſpectantia.

I. *Natura nihil agit temerè.*

II. *Naturæ omne nimium inimicum eſt.*

III. *Natura haud ſubitas fert mutationes; quocirca omnis ſubita mutatio haudquaquam periculi expers.*

IV. *Natura eſt morborum medicatrix; Medicus verò Naturæ miniſter, eamque rectè agentem imitari debet.*

V. *Conſuetudo altera eſt natura. Hinc conſueta longo tempore, deteriora quamvis ſint, inſuetis minùs moleſta eſſe ſolent.*

Per ea eſt, quod, & ſanitati conſervandæ, & ægritudini deſtruendæ, ſex rerum, quæ a Medicis barbarè *nonnaturales* vocantur, uſum dirigere debemus. Res ſex nonnaturales vulgò dictæ ſunt. 1. *Aer.* 2. *Cibus*, & *potus.* 3. *Excreta*, & *retenta.* 4. *Somnus*, & *vigilia.* 5. *Motus*, ſive corporis exercitatio, item et *quies.* 6. *Animi affectus*, quæ Græcis *pathemata* nuncupantur. Nonnaturales dicuntur, eoquòd, neque principia ſint, neque cauſæ conſtituentes partium corporis humani viventis. Attamen extrinſecùs, ut ita dicam, quantumvis adveniant, nonniſi per ea, & ſanitas diu, & vita ipſa humani corporis Quid ſint in ſenſu medico res ſex, quæ nonnaturales dicuntur.

viventis conservari, & species propagari potest; quandoquidem quandiu iis rectè utimur, tandiu ferè semper corpus humanum vivens sanum conservari solet; quod, quum iisdem contra abutimur, tum de facili ægrotat.

Quid homini faciundum sit, ut sanus conservetur.

Verùm, ut paucis omnia complectar, cum Celso dicam. (a) *Sanus homo, qui & benè valet, & suæ spontis est, nullis se obligare legibus debet.* Hinc enim ad sententiam Ettmulleri, aliorumque, nullis strictis, neque Veterum, neque Recentiorum se alliget legibus, sed libertate utatur suâ; aliàs *medicè vivere, est miserè vivere*. At optimum, singulare, ac penè dicam, divinum sanitatis conservandæ præsidium, sive potiùs oraculum habemus ex Hippocrate, qui scriptum reliquit: *Sanitatis studium est non satiari cibis, neque impigrum esse ad labores.* Et alibi: (b) *homo edens sanus esse non potest, nisi etiam laboret.* Quamplurimos autem resolvendi, præcavendique morbos rationem idem subministrat, docens, *quiete, atque abstinentiâ multos, & magnos morbos curari.* Quamobrem optimè sobrietas ab Helmontio totius vitæ cardo nuncupatur.

CAPUT XXVII.

Exponantur Elementa ad Mentem Galenicorum.

Quâ ratione elementa dicenda sunt corpora simplicia.

PArtes corporis humani, quum reverâ sint corpora mixta, non secus ac reliqua omnia corpora mixta, suis congregari debent elementis. Elementa, utì ante jam innuimus, dicuntur in Physicâ corpora ea simplicissima, quæ reliqua omnia corpora mixta componunt, & in quæ postremò, sive resolvuntur, sive resolvi possunt eadem corpora mixta, quæ iis componuntur. Corpora dicuntur elementa, quoniam partes sunt mixtorum com-

(a) *Lib. 1. cap. 1.* (b) *In lib. de diet. n. 1.*

completæ, substantiales, reverà existentes in rerum naturâ, extensionem habentes; secus enim alia corpora physica constituere nequaquam possent. Dicuntur simplicia, eoquòd constare nequeant aliis corporibus simplicioribus completis genere diversis. Iccirco elementa constant solummodo *materiâ*, & *formâ*, quæ profectò minimè sunt corpora completa, verùm tantummodo sunt principia corporum completorum, rerum videlicet naturalium *incompleta*.

Qualitates præcipuæ, quæ quatuor elementis Aristotelis adscribuntur.

Mixtorum elementa, sive rerum materialium principia completa quatuor sunt penes Philosophum. *Terra. Aqua. Aer. Ignis.* Qua de re (*a*) Anaxagoram confutavit, aliosque, perperam sibi suadentes, mixtorum elementa extitisse infinita. Eos quoque confutavit Hippocrates unicum tantùm affirmans (*b*) elementum extitisse in rerum naturâ. Cum Aristotele consensere Galenici universi, ac propterea præfatis elementis adscribere consueverunt, non secus ac idem Aristoteles, easdem qualitates peculiares. Quocirca terram docent frigidam esse, & siccam; aquam frigidam, & humidam; aerem calidum, & humidum; ignem calidum, & siccum. Qualitates hasce *primas* appellant, existimantes eas primò elementis inesse, atque ab iis alias exoriri qualitates, quas iccirco *secundarias* appellant. Quamobrem gravitas ex. gr. in terrâ, levitas in aere, & reliqua, quæ penes eos sunt qualitates secundariæ, proveniunt a qualitatibus primariis, videlicet a frigiditate terræ, a calore aeris &c.

Distinguuntur qualitates elementorum præfatæ in activas, & passivas.

Rursus qualitates præfatæ aliæ dicuntur *activæ*, aliæ *passivæ*. Activæ sunt, quæ præ cæteris, & ad mutuam elementorum alterationem, & ad mixtorum constitutionem validiùs agere solent. Passivæ, quæ minùs. Hoc posito, definitiones hasce, quamvis admodum obscuras, item et falsas utplurimùm, tradunt.

O 2 DE-

(*a*) 3. *de Cœl.* (*b*) *Lib. de Nat. hum.*

DEFINITIONES GALENICORUM.

I. CAliditas eſt *qualitas prima activa, quæ congregat homogenea, & diſgregat heterogenea*. Hinc in viſceribus noſtris apud Galenicos humores reſolvit, incidit, maturat, extenuatque.

II. Frigiditas eſt *qualitas prima activa, quæ congregat homogenea, ſimul atque heterogenea*. Iccirco in glacie congregata promiſcuè obſervamus aquam, paleas, lignum, lapides &c. eò uſque per calorem diſgregentur. Quocirca in corpore humano calorem temperat nimium, ne ſolvat mixtorum compagem, adſtringit humores, eoſque condenſat.

III. Humiditas eſt *qualitas prima paſſiva, faciens, ut ſuis terminis ſubjectum difficilè, alienis facilè ſiſtatur*. Id liquet in aquâ, vino, oleo, & reliquis, quæ humida ſunt, & quæ propterea, niſi arginibus detineantur alienis, undequaque effunduntur. Hinc lubricat partes ſolidas corporis humani, eaſque molliores facit, & leves.

IV. Siccitas eſt *qualitas prima paſſiva, faciens ut facilè ſubjectum ſuis ſiſtatur terminis, difficilè tamen ut alienis aptetur*. Verùm enim verò, quum id in igne, calidiſſimo licèt, minimè contingat, reſpondent id fieri *per accidens*, ob maximam nimirum tenuitatem ſubjecti igniti. Siccitas exiccat partes nonnullas corporis humani, eaſque exaſperat.

Secundarum qualitatum, quæ proximè in corporibus mixtis exoriuntur a temperie, & mixtione primarum, quatuordecim ſolent enumerare: *raritatem, & denſitatem: gravitatem, & levitatem: duritiem, & mollitiem: ſubtilitatem, & craſſitiem: ariditatem, & lubricitatem: friabilitatem, & lentorem: aſperitatem, & le-*

& lenitatem. Raritas opponitur densitati. Gravitas levitati, & sic deinceps.

C A P U T XXVIII.

Exponuntur ad Mentem Chymicorum.

QUinque esse tradunt elementa Chymicorum plerique, & maximè Recentiores, non aliâ de causâ, nisi quòd per analysin chymicam ex mixtis ferè universis naturalibus substantias quinque omnino diversas educere solent, quibus iccirco nomina quoque imponunt diversa, *spiritum*, *oleum*, sive *sulphur*, *sal*, *aquam*, *terram*. Quo reverà nequaquam a Galenicis discrepare videntur. Spiritus enim ob tenuitatem maximam, & mobilitatem particularum suarum componentium, quæ levi de causâ dissipantur, convenit cum igne; qua de re nominatur quoque *mercurius*. Qualitates oleo, & sali adscribunt Chymici, quæ non discrepant a qualitatibus, quas aeri tribuit Aristoteles. Enimverò activa esse affirmant spiritum, oleum, & sal. Passiva contra reliqua duo: aquam scilicet, & terram, quæ propterea *caput* item *mortuum* appellari consueverunt. Fusiùs describuntur Chymicorum elementa.

Varias salis, ac penè innummeras, utì non ita pridem innuimus, esse tradidere species Chymici; quas, & brevitatis amantes, & quia in præcedentibus jam recensuimus, singillatim recensere iterum omittimus. Adnotemus tamen satis hìc sit, a Chymicis præfatis acida, & alkalica dici salia, præsertim ratione fermentationis. Ideoque, quoniam salia acida subire commodè nequirent alkalica, ut ex mutuâ eorum unione fermentatio suscitetur, nisi particulæ sal acidum componentes sint quodammodo oblongæ, Salia acida, & alkalica quo sensu dicantur a Recentioribus in Physicâ.

ri-

rigidæ, acutæ, atque ſcindentes, opinantur Recentiores, ſalia acida variis congregari particulis oblongis, acutis, angularibus, & quodammodo ſcindentibus; quo fit ad mentem eorum, ut ſalia præfata ſint erodentia, ac fibras permoleſtè quandoque pungant, & lædant organorum noſtrorum &c. Raras è converſo, & pervias eſſe inferunt particulas, quæ ſalia compingunt alkalica; quæ propterea nonniſi per minimos meatus, quos habent, ſalibus acidis imbibendis, abſorbendiſque fieri poſſunt idonea. Enim verò friabilia utplurimùm eſſe ſolent alkalica, & longè minùs compacta, quàm ea, quæ dicuntur acida. Quocirca et inſipida plerùmque ſunt alkalica; & ſi quandoque acria, utì obſervamus in eo ſale, penes nos, alkalico, quod impropriè a Chymicis vocatur ſpiritus ſalis ammoniaci, & inter ſalia tertii generis ab iis recenſetur, id fortaſſe provenit a ſuperficie aſperâ nimis, atque erodenti ob aſperitatem ſcindentem particularum componentium, licèt friabiles, & perviæ ſint, necnon et a motu quodam validiſſimo, quo ſolutæ concitantur ob copiam maximam ætheris, qui ſalia præfata alkalica acria, tum ob raritatem tum ob tenuitatem earum undequaque ſubit, ambit, eaſque huc illuc celerrimè impellit, exagitat, infringitque. Hinc ſalia hujuſmodi facilè avolant, atque evaneſcunt; quinimmo, avolando, nares acriter, atque oculos proximè adſtantes ſtimulant. Nil mirum itaque ſi alkali, quum acre ſit, palatum, et viſcera incendat, humores ſolvat &c. Acida contra refrigerare ſolent, atque humores conglutinare, utì obſervamus de aceto, de ſucco limonum, de ſpiritibus ſulphuris, item et vitrioli, & tum, quum maximè humoribus ſulphureis, atque oleaceis confundantur. At enim verò plura de his ſi quis cupiat, conſulat diſſertationes noſtras de fermentatione jamdudum in lucem editas, ubi rem pro viri-

bus,

bus, fusè, & luculenter, quantum fieri potuit, exposuimus.

CAPUT XXIX.

Exponuntur ad Mentem Democriti, & Cartesii.

Quid sint atomi in sensu atomistarum.

AB Anaxagorâ Philosopho, penes Majores nostros celeberrimo, non multùm distare videntur Democritus, Epicurus, item et Lucretius olim, nec non etiam temporibus ferè nostris Gassendus; omnes quippe nihil aliud existimavere fuisse elementa rerum naturalium, preterquàm numerum atomorum infinitum, quæ ad eorum mentem concursu quodam mutuo corpora mixta universa, sive sensilia, sive insensilia existentia componunt. *Atomos* vocant indiscriminatim minima quædam solida individua variè figurata, quæ iccirco ob tenuitatem quam habent maximam, sensus omninò fugiunt, simplicissima tamen, & completa. Simplicissima, quum in eorum sententiâ aliis non componantur partibus divisibilibus, utpotè individua. Completa, eoquòd reverà corpora sint figurata, atque existentia, sensus quamvis nostros minimè attingere valeant. Hinc fit, ut non negent Atomistæ, cordatiores saltem, veram Aristotelis elementorum existentiam, *terræ*, nimirum, *aquæ*, *aeris*, atque *ignis*. Quemadmodum, neque negant existentiam *spiritus*, *olei*, *salis* &c. quæ sunt elementa chymica. Opinatur autem ea nequaquam esse corpora adeo simplicia, ut aliis non componantur corporibus simplicioribus, atomis nempè. Hinc atomos potiùs quàm ea dicendas esse concludunt vera elementa rerum naturalium, quæ Orbem universum compingunt.

Hìc

Quare Cartesius atomos reiciat.

Hìc insurgit Renatus Des Cartes, qui, utpote Geometra acutissimus, atomos præfatas subsistere haud posse sibi cognitum habuit; etenim, quum corpora sint figurata, extensionem physicè habeant quoque necesse est. Si extensionen habent, percipi haud potest, corpora esse individua, atque adeo, non costare aliis particulis semper indefinitè divisibilibus: tenujoribus tamen, quæ atomos singulas componunt. Id luculentissimè liquet, ex pluribus præsertim demonstrationibus geometricis, tum apud Euclidem, tum apud Appollonium &c. Perperam itaque Democritus, & cum Democrito Gassendus, aliique Recentiores Atomistæ, elementorum simplicitatem in eo sitam esse opinantur, quod dividi nequeant atomi; quæ, quum corpora sint, utì ante jam monuimus, necesse est, ut dividi semper possint in alia corpora minora, & rursus minora, & sic deinceps. Quocirca, ne processus admittatur in infinitum, adducit præfatus Cartesius, veluti per simplicem hypothesin, materiam quandam universalem, sive substantiam quandam longè, latequè extensam, ubique homogeneam, sibique similem; quæ tamen ob motum ei inditum in creatione Mundi ab Opifice ter Optimo Maximo, qui eam ex nihilo excitavit, indesinenter moveatur, & dividatur, sive potiùs infringatur in particulas varias hetereogenas, idest variè figuratas, insensiles tamen; quæ postmodum hinc inde, modò variè congregatæ, modò variè distractæ, varias compingunt moleculas majores, ac per moleculas alia compingunt corpora mixta, tum sensilia, tum insensilia; quæ ope generationis, & corruptionis in rerum naturâ consurgunt vicissim, destruunturque. Id, utì diximus, Cartesius tradidit in suo systemate physico, tanquam meram hypothesin, quæ cæterùm sacris Textibus non planè cohœrere videretur, a quibus quo pacto principio creavit Deus.

Cœ-

Cælum, & Terram &c. sanè habemus. At nos equidem non fugit quicquid hìc adversùs Cartesianos afferre quispiam consuevit pervicax atomorum defensor: nimirum atomos, penes Atomistas, individuas esse, non quòd extensionis expertes sint, sed quòd tantam habeant duritiem, ac concretionem, ut neque intrinsecùs, neque extrincecùs ullo pacto infringi queant. Huic in dissertationibus nostris in lucem editis abundè pro viribus nostris olim responsum fuit.

Quid sit in sensu cartesiano materia primi elementi, in nostro, primi generis.

Hæc hypothesis cartesiana, si rem accuratè perpendas, cum eâ omnino consonare videtur, quam, utì diximus in precedentibus, confutavit Hippocrates, (*a*) ubi affirmat, non unicum esse posse elementum, quia, *si unico*, inquit, *elemento Homo constaret, non doleret, quia nullum esset contrarium*. Nihilominus varias particulas variè figuratas, quas Cartesius eduxit ex hac materiâ universali simplicissimâ prorsus homogeneâ, variè tamen per motum divisâ, distinguere consuevit in tres classes præcipuas diversi generis, quas elementorum nomine insignivit. Prima classis earum est, quæ ob tenuitatem maximam, necnon et ob motum concitatissimum; materiam quandam constituunt tenuissimam insensilem, maximè mobilem, quæ ubique fluit, refluit, atque effunditur per minimos meatus universos, per universas intercapedines, perque universa interstitia, quæ in reliquis pervia offendit moleculis crassioribus. Materiam hanc appellavit Cartesius *primi elementi*, nos in Tractatu nostro de Motu eam appellavimus quoque *primi generis*.

Quid sit in sensu cartesiano materia secundi elementi, in nostro, secundi generis.

Altera classis earum est, quæ crassiores sunt, rotundæ tamen, ac sphæricæ, sive quasi sphæricæ ob diuturnam angulorum attritionem, eoquòd alias offendentes in motu sese infringant, atque atteran-

 tur

(*a*) *lib. de Nat. hum.*

tur in ſuperficie. Particulæ præfatæ in ſphærulas minimas ita redactæ, materiam quandam conſtituunt in rerum naturâ craſſiorem, magiſque reſiſtentem, atque adeo multò minùs concitatam, ſive exagitatam, longè validiorem quamvis, quàm materia primi elementi, quæ, utì monuimus, concitatiſſima eſt. Hæc altera materia *ſecundi* a Carteſio dicitur *elementi*. Nos eam appellavimus item materiam *ſecundi generis*.

Quid ſit æther in ſenſu carteſiano, ſive materia ætherea, materia ſubtilis.

De præfatâ materiâ ſecundi generis, id præ cæteris adnotemus oportet, quum longè, lateque per Orbem univerſum effundatur, globuliſque congregetur minimis rotundis, fieri haud potuiſſe, ut globuli componentes adamuſſim ita ſeſe contingant, ut varias inter ſe non relinquant ubique intercapedines; quas, quum vacuæ eſſe nequeant, ſubeat neceſſe eſt materia primi elementi longè tenujor. Materia iccirco ſecundi elementi ſubſiſtere nequaquam poſſet ſola in rerum naturâ, videlicet ſine interventu materiæ primi elementi; quæ globulos ſecundi elementi undequaque circumdat, iiſque per univerſam penè peripheriam circumfunditur. Hinc in Orbe univerſo, ad mentem Carteſii, conſurgit aggregatum quoddam materiæ primi, ſecundique elementi; quod longè minus movetur, ſive exagitatur, hoc eſt longè minùs eſt concitatum, quàm ſola materia primi elementi. Longè tamen magis quàm ſi materia ſecundi elementi ſola in rerum naturâ exiſtere potuiſſet. Aggregatum iſtud materiæ primi, ſecundique elementi quaquaversùm per Orbem effuſum eſt id, quod Carteſius appellat *ætherem*, *materiam æthercam*, *materiam ſubtilem*; quæ meatus univerſos, univerſas intercapedines, atque omnia interſtitia mixtorum variè ingreditur, pro ut diverſa eſt eorum forma, & conſtitutio, eorumque denſitas, & raritas.

Quid ſit materia tertii elementi in ſenſu carteſiano, tertii generis in noſtro.

Tertia tandem claſſis eſt reliquarum molecularum-

rum, quæ, utpote craſſiores, atque inæquales, rudes, atque, ut ita dicam, indigeſtæ, figuras habent varias, valde diſſimiles, quæ motui propterea longè magis reſiſtunt, quæ videlicet difficiliùs moventur, atque exagitantur, & quæ iccirco ex facili mutuò ſeſe comprehendunt, uniuntur, & motum planè amittentes in moles majores concreſcunt. Hæc appellatur ab eodem Carteſio *materia tertii elementi*; quam nos appellavimus *materiam tertii generis*. Materia tertii elementi eſt, quæ in hypotheſi Carteſianâ mixta compingit in rerum naturâ longè craſſiora, tum ſenſilia, tum inſenſilia, *terram* videlicet, *aquam*, *aerem*, & *ignem*, & reliqua omnia, quæ iis componuntur, mixta craſſiora, necnon etiam *ſpiritus*, *ſalia omnia*, *ſulphur*, *phlegma*, & *caput* tandem ipſum Chymicorum *mortuum*, quod *tartarum*, ſive *terra* a nonnullis vocitatur; & quicquid iis denique, ex eorum ſententiâ, in Orbe conflatur.

Quare mixta variis ubique ſpiraculis diverſi generis pervia ſint.

Corpora præfata, ſive mixta, quum variis congregentur particulis diverſi generis, neceſſe eſt, ut ſpiraculis ſaltem minimis, ubique pervia ſint, varii quoque generis, hoc eſt variè configuratis, quæ repleri debent materiâ ſubtili, ſive æthere; qui ea, utì monuimus, ingreditur motu quodam perniciſſimo, quem ſuſcipit ab impulſu vorticis univerſalis, utì pridem in Tractatu de Motu præcitato fusè, ac luculenter expoſuimus.

Quâ ratione variæ opiniones, quæ circa rerum naturalium elementa verſantur, conciliari poſſunt.

Materia præfata ſubtilis, quæ ingreditur corpora mixta, ſi vel adeo ſit craſſa, vel ſi non in tantâ ſit quantitate, ut exagitare queat in mixtis moleculas componentes, mixta, quæ componuntur, erunt hoc in caſu corpora ſolida; eòque ſolidiora, ac dura magis, quò particulæ præfatæ componentes ab æthere intimè minùs exagitàntur. Contra autem, ſi vel ob tenuitatem, vel ob copiam majorem, eas æther commoveat, atque exagitet, erunt fluida; eòque fluidiora, quò magis

exagitantur. In quo tamen id potissimùm adnotare juvat, si a meatibus præfatis insensilibus, vel ob minimas angustias, vel aliâ de causâ excludatur a materiâ primi elementi materia secundi elementi, tum moleculas componentes mixta naturalia tantam in motu acquiri celeritatem a materiâ concitatissimâ primi elementi, quæ sola eo in casu, & sui juris, ut ita dicam, facta, in spiraculis movetur, ut vel flammam, vel ignem, vel fervorem, vel fermentationem concipiant. Ex quibus patet a Democrito non aliâ de causâ dissentire Cartesium, quod attinet ad elementa mixtorum, nisi quòd Democritus particulas minimas elementorum componentes effingit individuas, & Cartesius eas ostendit dividi posse *indefinitè*. Multò minùs discrepare videtur a Peripateticis, quum materia primi elementi non sit reverà nisi quàm ignis ille perquamtenuis defœcatissimus elementaris, qui procul dubio appellari quoque potest materia primi elementi, sive primi generis. Enim verò Anaxagoras (a) ignem *æthera* nominavit. Materia secundi elementi, sive secundi generis convenit cum aquâ elementari. Materia ætherea, sive materia subtilis, sive æther cartesianus convenit cum aere elementari. Materia tertii elementi, sive tertii generis, eoquòd crassior longè sit, quàm reliqua elementa, atque motui longè minùs idonea ob varias ac valdè dissimiles particularum figuras, adamussim convenire potest cum terrâ elementari, modò tamen ignis, aqua, aer, & terra in sensu usurpetur scholastico; idest dummodo usurpentur tanquam corpora elementaria simplicissima, purissima, quibus reliqua omnia mixta componuntur, & in quæ, sive resolvuntur postremò, sive resolvi possunt. Affectiones, & qualitates elementorum istorum exposuimus nonmodò in præcedentibus, verùm etiam in Tractatu de Motu præcitato. Si

(a) *lib. 1. de Cal. text. 22.*

Si quis quærat, quare nequaquam appellet Cartesius ætherem, sive materiam ætheream *elementum*. Respondemus, id factum fuisse a Cartesio, quia æther, quum sit aggregatum ex materiâ primi, & secundi elementi, dici haud potest, corpus simplicissimum fore, utì sunt reliqua tria elementa, quæ & simplicissima, & diversi generis sunt.

Cur æther a Cartesio inter elementa rerum naturalium propriè non recensetur.

CAPUT XXX.

De Regionibus Elementorum ex hypothesi cartesianâ.

ACutissimè, perperam licèt, urget Cartesius suam de elementis hypothesin, eamque accomodat ad systema damnatum copernicanum. Collocat enim in centro Orbis Solem, qui, penes Cartesium, nil aliud est, quàm aggregatum materiæ concitatissimæ primi elementi, Sol undequaque materiâ circumdatur, sive potiùs circumfunditur secundi elementi ad globum terraqueum usque, qui componitur, ex illius sententiâ, materiâ tertii elementi. Id mechanicè exposuit Auctor in Tractatu suo physico ad leges motus vorticis illius universi, cujus in centro Solem accomodavit. Hoc non modò commentitium est, verùm etiam sacris adversatur Paginis, ex quibus habemus, globum terraqueum centrum esse fixum, & prorsus immobile vorticis ipsius Solis, qui ab Oriente motu suo diurno tendit in Occidentem &c. Præterea *in principio creavit Deus Cælum, & Terram* &c. nequaquam materiam simpliciter extensam, & motum, quem postmodum in eâ suscitavit, utì idem fabulatur in systemate suo physico, licèt per simplicem hypothesin ad explicanda rerum phænomena ad leges motus mechanici.

Hypothesis Cartesiana, ratione regionis elementorum, est planè commentitia, neque sacris paginis coheret.

Ni-

Negari non potest vera, ac physica in rerum naturâ materiæ cujusdam insensilis, longè, latèque effusæ existentia.

Nihilominus, falsa quamvis omnino sit hypothesis cartesiana, ratione generationis, & situs elementorum, non negamus tamen existentiam in rerum naturâ materiæ cujusdam tenuissimæ insensilis heterogeneæ, quam ætherem appellare possumus; eoquòd per Orbem hinc inde moveatur motu quodam pernicissimo; quo, prout modò tenujor sit materia præfata, modò crassior, modò magis, modò minùs copiosa, varios inducit motus, variasque progignit in mixtis vicissitudines, utì quoque in Tractatibus præcitatis demonstravimus. Hujusmodi quippe vicissitudines, generationes, & corruptiones mixtorum naturalium proveniunt omnes a motu molecularum componentium; quæ tamen, quum corporeæ sint, moveri nequeunt nonnisi concitatæ ab aliis corporibus, quæ eas proximè impellunt. At, quum corpora ista, quæ proximè agunt in moleculis easque impellunt, sensus fugiant omnino, inferamus necesse est, insensilia esse; atque adeo ex iis materiam quandam confici mobilem, concitatissimam, adeo tamen extenuatam, atque subtilem, ut sensus organa proximè afficere nequaquam valeat.

Materia etherea, insensilis licèt sit, ab effectibus, quos inducit, sensibus quotidiè percipitur.

Proximè diximus, quandoquidem materiam subtilem, sive æthercam quotidiè sentimus beneficio aliarum molecularum sensilium, quæ per eam impelluntur. Eam ex. gr. sensibus nostris in igne quotidiè percipimus, non proximè, sed adjuvantibus particulis crassioribus, quæ inflammatæ in materiâ combustibili, non aliâ de causâ agunt, atque inflammantur, nisi quòd solvuntur, exagitanturque ab æthere, sive ab aere eo tenuissimo, qui meatus minimos ingreditur materiæ præfatæ combustibilis, particulas ejus componentes validè impellit, movet, exagitat, atque adeo mixti solvit compagem, & particulas solutas secum abripit; quæ propterea moventur, quaquaversum effunduntur, & vel sensus concitant. Si

Si quis tamen hìc quærat unde materia ista æthe- rea sibi comparet motum suum validissimum, respondemus a motu celerrimo verticoso, quo circumducitur in vortice eo maximo, quo Sol quotidiè in gyrum movetur per vorticis eclipticam ab Ortu in Occassum, atque ab Occasu in Ortum circumcirca globum terraqueum. Etenim Sol, quum maximæ sit molis, & quum pernicissimè moveatur, fieri minimè potest, quin semper impellat, & secùm abripiat copiam maximam ætheris illius tenuissimi, quî propterea ita motus, atque compulsus verticem concitat maximum rapidissimum, validissimumque, qui centrum cum globo terraqueo habet commune, utì quoque demonstravimus. Æther iste, sive aer tenuissimus, per quem in gyrum Sol movetur, ab Aristotele, (*a*) aliisque Philosophis veterrimis, item et *æther* passim vocatur. *Hæc verò in aere. Hæc autem in æthere. Et æther in Cælo. Cælum autem non ampliùs in alio est.*

Unde in æthere, penes nos, provenit motus ille celerrimus, quo per Orbem movetur.

Ex motu vorticis istius, utì palam fecimus, sive fiat propè globum terraqueum, sive a globo longè distans, motus maximus oriatur, necesse est, materiæ ætheræ; quæ celerrimè movetur ab eclipticâ vorticis ad axem globi terraquei, atque ab axe per polos in eclipticâ &c. Hinc materia præfata motu hoc suo perenni motus universos mixtorum, tum intrinsecos, tum extrinsecos suscitare valet, quos in rerum naturâ, & secundùm naturam, & præter naturam quotidiè observamus. Atque adeo, positâ in rerum naturâ materiâ fluidâ, positoque motu Solis in gyrum per Orbem universum, facilè percipere, atque explicare possumus generationes omnes, corruptiones, affectiones, & proprietates naturales mixtorum naturalium, dummodo tamen sint mixta physica inanimata, cogitationis videli-

Quare corpora, quæ tum a Veteribus, tum a Chymicis, tum ab Atomistis proponuntur veluti elementa, reverà elementa neutiquam sunt.

(a) *lib. 4. tex. 46.*

licet, & ſenſus omnino expertia, quin diutiùs ad virtutes confugiamus occultas, ad proprietates ſympathicas, atque antipathicas, & reliqua, quæ ſunt reverà in Accademiis tutiſſimum ignorantiæ aſylum. Quamobrem, exiſtant quamvis in rerum naturâ quatuor Veterum, Chymicorum quinque, ac penè innumera Atomiſtarum elementa, ea nequaquam elementa reverà habenda ſunt, quum non ſint corpora ſimpliciſſima, & nonniſi per motum alterius materiæ ſimplicioris concitatiſſimæ, cujus ope vel ipſa agunt elementa, qualitates ſuas exerere, atque exercere valeant. Quæ de elementis hactenus expoſuimus, ſi quis accuratè perpendat, æquè ac intimè percipiat, ſi tamen reliquas omnes Philoſophiæ partes optimè calleat, citra negocium per quam facilè, & luculenter, nonmodò haurire poterit cauſas univerſas qualitatum, actionum, item et affectionum omnium, quæ in corpore humano, quatenus materiale eſt, contingere ſolent; verùm etiam ea dilucidè exponere ad mentem tum Veterum, tum Recentiorum, tum Chymicorum, qui in pleriſque quæſtionibus, verbis profectò potiùs, quàm re non cohærere videntur.

Mens hominis, licèt incorporea, neceſſe eſt, ut in corpore humano, quod informat, agat per organa corporea.

Diximus *quatenus materiale*, quatenus videlicet vitam habet materialem, atque omnino corpoream ab actione organorum materialium. Etenim quatenus vivens, & agens quoque ope Mentis incorporeæ, quæ illud animat, informatque, neceſſe eſt, ut præter motum materiæ, ponamus in homine cogitationes quoque prorſus incorporeas; quæ in ejus Mente excitantur incorporeâ, in eâ nempe formâ hominis prorſus incorporeâ; quæ, utpote corpus informans humanum materiale, debet quoque, utì palam fecimus in animadverſionibus præſertim noſtris metaphyſicis, in eodem corpore humano, & cum eodem corpore vitam habente, per organa ejuſdem corporis agere &c. ANI-

ANIMADVERSIONES PHYSIOLOGICÆ.

Quid ſit reverà mixtio penes Chymicos.

QUum adinvicem varia in unum congregentur elementa, ita tamen, ut ex mutuâ eorum unione corpus aliquod exurgat, in quo elementorum qualitates mutuò alterentur, id corporis ***mixtum*** propriè nuncupatur. Unio elementorum præfata ***alteratorum*** propriè dicitur ***mixtio***. Quocirca appoſitè Ariſtoteles (*a*) mixtio eſt, inquit, ***miſcibilium alteratorum unio***. Miſcibilia ſunt elementa, quæ in mixtione verâ alterentur, neceſſe eſt. Quandoquidem unio plurium ex. gr. ſeminum, quæ denuò ſecerni poſſunt, vocatur ***appoſitio***; non ſecus ac aquæ, vinique permixtio in vaſe, nuncupatur ***confuſio***; eoquòd, licèt impoſterum vinum ab aquâ ſecernere non valeamus, novam tamen formam in hujuſmodi mixtione minimè ſibi comparant, adeo ut tertium quid ex eâ conſurgat, quod neque vinum, neque aquam ſapiat. Hinc mixtio, penes Chymicos, qui nullam in elementis admittunt veram alterationem, *eſt unio naturalis ſpiritus, ſalis, ſulphuris, aquæ, ac terræ*. ***Naturalem*** dicunt, ut ab appoſitione, & confuſione diſtinguatur mixtio, quas appellant mixtiones ***artificiales***, ***accidentales***, ***extrinſecas***.

In quo diſtet generatio a verâ mixtione.

Hoc poſito, liquet primò in mixtione elementa eſſe debuiſſe contraria; ſecus enim ſeſe mutuò alterare, & quodammodo deſtruere nequaquam poſſent. Liquet ſubinde, generationem a verâ mixtione differre tantùm ſecundùm magis, & minùs, nempe gradibus, quamvis affirment Peripatetici priſtinam elementorum formam remanere in mixtione, ſed valdè alteratam; in generatione omnino corruptam, ut nova adveniat. Hinc vulgatum illud penes Phyſicos:

(a) *1. de Generat. Cap. 10.*

corruptio unius, est generatio alterius; quum generatio reverà nil aliud sit, penes nos, quàm major elementorum in mixtis alteratio. Hinc corpora mixta propriè dicuntur lapides, qui quamvis, vel penes nos, per digestionem alimoniæ cujusdam intus influentis incrementum sibi suscipiant, in iis tamen terra ex. gr. compacta, maximam, saltem ratione sensuum nostrorum, non subit alterationem. Plantæ contra, frondes, flores, fructus in arboribus &c., eoquòd in iis eò perveniat elementorum alteratio, ut pristinâ eorum formâ prorsus deletâ, novam acquirant, utì declarant sensus, propriè nuncupantur *corpora generata*, sive *mixta generata*. Quamobrem corpora mixta dici quoque possunt terra hæc nostra sensilis, aqua, aer crassus, atque ignis hic noster materialis; quæ, quamvis materiam præ cæteris sapiant elementorum, a quibus denominari solent, nihilominus haud sunt corpora simplicia; aliis siquidem congregantur elementis, ut patet ex Physicâ.

FIGURARUM EXPLICATIO.

Tabula I.

FIGURA I.

Indicat Musculi partes exteriores.

FGC Musculus biceps cubiti flexor
GC Tendines
G Venter, sive caro
F Caput
C Cauda

FIGURA II.


Indicat partes exteriores Corporis humani anterioris.

A Caput
B Thorax
C Abdomen
a Facies
b Collum
D Jugulum
E Scrobiculum cordis
c c Axillæ
F Epigastrium
d d Hypochondria
G Regio umbilicalis
H H Ilia
I Hypogastrium
e Regio pubis
ff Inguina
g Pudendum
K Humerus
L Cubitus
h Carpus
l Metacarpus
1. 2. 3. 4. 5. Digiti
M Vola manus
N Femur
O Tibia
k Tarsus
m Metatarsus
o Digiti
P Malleolus internus

FIGURA III.

Indicat partes exteriores Corporis humani posterioris.

A Calvaria
B Cervix
C Dorsus Pectoris
D D Lumbi
E E Nates sive clunes
F Dorsus manus
G G Sura
H Dorsus pedis
I Planta pedis
K K Poplites
a Calcaneus
b Malleolus externus.


pa.122
Fig.II.
Fig.I.
Tab.I.
Fig.III.

FIGURARUM EXPLICATIO.

Tabula II.

FIGURA I.


Indicat ossa anteriora Scheleti humani.

A Os Frontis
B Ossa temporum
C Maxilla superior
D Maxilla inferior
E E Claviculæ
F Sternum
1.2.3.4.5.6.7. Costæ legitimæ
8.9.10.11.12. Costæ spuriæ
a Cartilago ensiformis
G G Ossa ilium
H H Ossa coxendicis
I I Ossa pubis
K Humerus
L Cubitus, sive focile majus
M Radius
N Ossa carpi
O Ossa metacarpi
P Ossa digitorum
Q Ossa femorum
b Rotator major
c Rotator minor
d Rotula, sive patella
R Tibia
S Fibula
T Os Sacrum
e Ossa tarsi
f Ossa metatarsi
g Ossa digitorum

FIGURA II.

Indicat Ossa posteriora Scheleti humani.

A Occiput
a Sutura lambdoidea
b Sutura Sagittalis
B Scapulæ
C Vertebræ cervicales
D Vertebræ dorsales
E Vertebræ lumbares
F Vertebræ ossis Sacri.


Fig. I.
Tab. II.
Fig. II.
pa. 123
B
D
E
E
K
K
L
M
N
O
P
G
b
c
I
I
Q
d
S
R
f
g
b
C
E

FIGURARUM EXPLICATIO.

Tabula III.

Clarè indicat Auriculas, & Ventriculos cordis ſectos, & adapertos, necnon etiam motum ſanguinis per univerſum corpus.

A Ventriculus cordis ſiniſter

B Locus, qui indicat ejus orificium

CCCCC Truncus arteriæ aortæ

DDD Rami ejuſdem, ideſt ſuperiores, & inferiores

EE Rami venæ cavæ, ideſt ſuperior, & inferior

F Auricula dextera ſecta

G Ventriculus dexter, qui meliùs occurrit in ſequenti tabulâ

H Arteria pneumonica ſecta

II Rami ejuſdem

K Truncus venæ pneumonicæ

LL Rami ejuſdem

M Auricula cordis ſiniſtra


N Ejus cavum adapertum

O Locus, qui indicat ejus orificium

aaa Valvulæ Sygmoides

Sanguis a Ventriculo cordis A *ſiniſtro per orificium* B *ingreditur truncum* CCC *arteriæ aortæ. Exinde per ramos* DDD *effunditur per univerſas regiones corporis humani. Ex quibus refluit per ramos* EE *venæ cavæ in truncum communem ejusdem venæ cavæ, qui evomit eundem ſanguinem in auriculam cordis dexteram* F. *Vnde per ejus orificium defluit in Ventriculum* G *dexterum ejuſdem cordis. Ab hoc per arteriam pneumonicam* H *effunditur per univerſam pulmonum ſubſtantiam, a quâ per truncum* K *venæ pneumonicæ remeat in auriculam ſiniſtram* M. *Exinde per orificium* O *deſcendit in Ventriculum cordis ſiniſtrum* A; *a quo iterum per truncum arteriæ aortæ, & ſic deinceps.*

Tab. III.



FIGURARUM EXPLICATIO.

Tabula IV.

Quæ clarè indicat eadem in eodem corde, alio modo intro-ſpecto.

A Ventriculus cordis ſiniſter

B Locus, qui indicat ejus orificium

CCCCC Rami arteriæ aortæ, ideſt ſuperiores, & inferiores

DD Rami venæ cavæ, ideſt ſuperior, & inferior

E Auricula dextera ſecta

F Ejus cavum adapertum

GGG Ventriculus cordis dexter

H Arteria pneumonica ſecta

II Rami ejuſdem

K Truncus venæ pneumonicæ


LL Rami ejuſdem

M Auricula ſiniſtra ſecta

a a a Valvulæ Sygmoides.

Tab. IV.

pag. 123



LIBRI PRIMI

SECTIO SECUNDA

De Febribus, aliisque Morbis, qui afficere solent sanguinem, unà et cor.

CAPUT I.

De Febribus in genere.

QUum nihil aliud esse videatur *Febris*, quàm *calor naturalis in corpore humano vivente præter* Febris definitio. *naturam sive adauctus, sive imminutus, vitio quodam, quod pravam inducit sanguinis fermentationem*, ut febris natura, ejusque symptomata luculenter innotescant, quicquid de triplici sanguinis motu per meatus sanguiferos corporis humani viventis in præcedentibus innuimus, hìc mente imprimis recolendum est; qui utì diximus, triplex est: *fluoris*, *fermentativus*, *localis*, sive *progressionis*; etenim febris, triplicem quamvis motum istum afficere quodammodo semper soleat saltem non directè, directè tamen, ut ex dicendis haurire quisque poterit, nonnisi motum sanguinis fermentativum afficit; quod, ut magis elucescat, conditiones singulas, quibus febris definitionem exposuimus, singillatim perpendere juvat. Et primò febrem ideo *calorem* esse affirmavimus in corpore humano vivente præter naturam sive *adauctum*, sive *imminutum*, quia in febribus plerisque, calor quamvis augeatur, negare tamen minimè possumus, vel in febribus quandoque, in iis nimirum,

quæ *frigidæ* propterea nuncupantur, a principio ad finem calorem naturalem præter naturam imminui. Quinimmo et febres ipsæ, in quibus calor processu temporis augetur, non rarò prævio rigore, utì docet experientia, suscitantur.

Declaratur definitio febris præallata.

Dicimus præterea *humorum vitio*; calor quippe neque augetur in febribus, neque imminuitur, ut ita dicam, *ab extrinseco*, quemadmodum fit, quum foco v. gr. assidemus, neque a chylo optimi succi, ac fervido, neque a gelidis potionibus, neque ab aere extrinseco; verùm oritur a pravâ quadam fluidorum alteratione, sive corruptelâ, quæ pravam sanguinis fermentationem procreat; siquidem optima sanguinis fermentatio, quemadmodum calorem naturalem inducit, ita quoque prava ejusdem sanguinis fermentatio calorem præternaturalem in corpore humano vitam habente inducat, necesse est.

Sanguis est, qui in febribus, ex nostrâ sententiâ, primariò afficitur.

Ex quibus patet, partem in febribus primariò affectam *sanguinem* esse; qui profectò affici potest vitio, tum sui, tum reliquorum fluidorum: lymphæ videlicet, succi nervei, vel spirituum animalium, æquè ac vitalium, chyli, bilis, succi pancreatici &c., necnon et quandoque vitio item partium solidarum, in quibus non semel humores stagnando corrumpuntur, atque in gyrum cum sanguine postmodum effusi, fermentationem febrilem suscitant; utì contingere quotidie solet in tumoribus, qui suppurant, ulceribus, vulneribus &c. Hinc illud Hippocratis (*a*) *dum pus conficitur, dolores, ac febres accidunt magis, quàm jam confecto*.

Præter sanguinem in febribus, secundariò tamen, reliqui afficiuntur humores cum partibus universis.

Dicimus partem in febribus *primariò affectam* sanguinem esse; etenim si unà cum sanguine in febribus contingat, ut reliqui quoque afficiantur humores, item et organa ferè universa, & cor præ cæteris, arteriæ, & ner-

(a) *Sect.* 2. *Aph.* 47.

nervi, id fit *secundariò*, eoquòd ſanguis pridem alteratus, & præter naturam ſive fervidus, ſive frigefactus, reliquos humores coinquinare, item et organa lædere debeat.

Quod quum ita ſit, ſigna febris diagnoſtica deſumenda veniunt ab alteratione, quæ provenit in corpore humano, & ab eodem ſanguine, qui in vaſis ſanguiferis pravè fermentatur, & a cæteris partibus, tum fluidis, tum ſolidis, quæ in eodem corpore humano vitam habente, ob pravam ſanguinis fermentationem, alterari, & lædi debent. Quocirca febris indicia primaria eſſe ſolent calor præter naturam aut adauctus, aut imminutus. Secundaria pulſus præter naturam immutatus, virium defectus, pandiculationes, oſcitationes, cephalalgia, artuum, lumborumque dolores utplurimùm vagantes, nervorum permoleſtæ irritationes, rigores cutanei, appetitus dejectus, nauſea, quandoque vomitus, urinæ non congruæ, & reliqua; quæ, quamvis in febribus non æquè ſemper reſpondeant, neque febres tantummodo comitentur, in febribus tamen examinanda, ac ſedulò in ægrotantibus perquirenda ſunt, quoniam per fermentationes febriles, aut proximè, aut remotè in corpore humano, dum vivit, utplurimùm excitantur. Diagnoſis.

Cauſam febrium proximam univerſalem efficientem ex iis, quæ ante jam diximus, patet, vitium eſſe ſanguinis, quod pravam ſanguinis fermentationem peperit. Quia autem ſanguinis fermentatio, utì monuimus, ſuſcitatur per materiam *primi generis*, ſive *primi elementi*, quæ ſola per meatus minimorum ſanguinis maſſam componentium evagatur, inferre debemus, vitium ſanguinis præfatum, quod febrem ſuſcitat, ſitum eſſe præſertim in humore quodam, ut ita dicam, heterogeneo, qui meatus minimos præfatos Cauſæ.

tos immutare ita valeat, ut plus, vel minùs, quàm par eſt, ad fermentationem naturalem inducendam, excludatur materia *ſecundi generis*, ſive *ſecundi elementi*; quæ, utì ex Phyſicis habemus, maximum motum, maximum momentum, maximamque celeritatem in æthere compeſcit materiæ primi generis &c. Humor autem heterogeneus, extraneus, ut ita dicam, ſive non congruus, qui *fermentum febrile* appellari poteſt, aut generatur in eâdem ſanguinis maſſâ, aut per meatus, ſive ſpiracula cutis, aut per pulmones unà cum aere inſpirato, aut per ductus lacteos vaſa ingreditur ſanguifera. Quapropter cauſa febrium remota præcedens, ſive *procatarctica*, educenda eſt potiſſimùm a qualitate, & quantitate *ſex rerum nonnaturalium*, quibus, aut utimur, aut quandoque potiùs abutimur.

Prognoſis. Prognoſis deſumitur in febribus a temperamento ægrotantis, a naturâ caloris febrilis, tum exterioris, tum etiam interioris, a qualitate, & quantitate pulſus, item et urinæ, a ſanguinis inſpecti conſtitutione, necnon et a varietate, atque intenſione reliquorum ſymptomatum, quæ in febribus contingunt; de quibus tamen omnibus ſuo loco ſingillatim dicendum, ubi de febribus ſingulis ex profeſso acturi. In genere tamen adnotandum, ſevo ſcatentes febribus ardentibus longè minùs lædi, cæteris paribus, quàm graciles, & macilentos. Sevum enim uno eodemque tempore, quo ſolvitur, &, ut ita dicam, funditur ob excandeſcentiam febrilem, a ſanguine præterlabente abſorbetur, atque adeo oleoſitate ſuâ tantum ſanguinis fervorem lenire, ac blandè compeſcere valet. Pulſus magnus in principio plerùmque bonus, & quò major, eò melior habendus. Contra, quum imbecillitatem præſeferat, eoquòd vires tum indicet maximè fractas, dubii eventus exiſtimandus. Intermittens, niſi unà, et val-

et valdè debilis ſit, non peſſimus habendus. Symptomata in febribus, licèt ingraveſcant, cum pulſu tamen magno, atque æquali, meliora ſunt, quàm leniora cum pulſu parvo, & inæquali. Urina turbida, nihil in matulâ deponens, magnam in febribus humorum perturbationem declarat. Quò tenuior, & rubicundior, eò pejor. Quandiu cruda, tandiu ſuſpecta. Quò major, vel minor ex indiciis apparet ſanguinis perturbatio, eò quoque magis, vel minùs anceps haberi debet febris. *Autumnales longæ* utplurimùm, *aut mortales*, tum maximè, quum ſymptomata ingraveſcant. Id profectò ob ſpirituum animalium, atque vitalium, quos calor æſtivus pridem diſſipavit, inopiam.

Non ſecus ac in cæteris affectionibus, ita et in febribus, ut methodicè curentur, ex triplici fonte, *diætetico* nimirum, *pharmaceutico*, ac *chirurgico* elicienda ſunt præſidia medica. In diætâ id præ cæteris obſervandum in genere, ratione victus ex Hippocrate (*a*), quod *corpora impura, quò plùs nutries, eò magis lædes*. (*b*) *Si quis cibum febricitanti dederit, ut ſano robur, ſic laboranti morbus*; quandoquidem in febribus, organorum facultatibus enervatis, aut ſaltem immutatis, alimentorum copia neque digeri probè, neque extenuari, neque defœcari, neque commodè diſtribui poteſt. Habenda tamen ratio eſt temperamenti, regionis, anni temporis, ætatis, febriſque naturæ, de quibus univerſis ſuo loco dicendum. Interim de diætâ in febribus, ex eodem Hippocrate (*c*), id in genere adnotare juvat primò, quod *victus humidus febricitantibus omnibus confert, maximè verò pueris, & aliis, qui tali victu uti conſueverunt*; fluida nempe alimenta longè faciliùs concoquuntur, citiùs, citraque magnum laborem ſolidas partes, æquè ac fluidas corporis humani viventis reficiunt.

Curatio diætetica.

(a) *Aph.* 10. *Sect.* 2. (b) *Aph.* 68. *Sect.* 7. (c) *Sect.* 1. *Aph.* 16.

ciunt. Secundò, quod *in accessionibus abstinere oportet, nam cibum darè, nocuum est; & quibus per circuitum fiunt accessiones, in ipsá accessione abstinere oportet*; (*a*) in accessione enim cibus ingestus organa jam labefacta-ta, magis adhuc defatigat, atque adeo febricitantem magis quoque lædit. Observamus tamen bilem nonnullis, aut reliqua viscerum fermenta in accessionibus ita exaltari, ut nonnisi aliquid vel in ipsa accessione in refectionem iis propinetur, adeo laborent, ut syncopæ frequentissimæ superveniant, aliaque pessima symptomata, non sine maximo vitæ febricitantis discrimine. Ratione motus, & quietis, motus nimius, exercitatio videlicet membrorum nimia, dissipat nimis partem fluidorum volatiliorem, ac propterea organorum facultates magis, magisque enervat. Quies contra, si nimia sit, efficit, ne sanguinis recrementa debitè per glandulas excernantur, quæ propterea in vasis intus cumulata fermentationem febrilem magis adhuc fovent. Quicquid innuimus de motu, & quiete, idem fermè dicendum de somno, vigiliisque. Animus, quantùm fieri possit, vacans a curis universis hilaritatem servet. Hilaritas quippe sola febres quandoque, contumacissimas licèt, extinxit.

Curatio pharmaceutica, item et chirurgica.

In Pharmaciâ febricitantes omnes, ubi saltem febre laborant calidâ, humectare, & refrigerare debemus: *omnis febris, qua febris humectatio, ac refrigeratio remedia sunt* ex Galeno (*b*). Præmissis itaque, si tamen conveniunt, lenibus purgationibus, aut clysteribus simplicibus, quibus blandè solvatur alvus, iis potissimùm, qui aut edaces sunt, aut alvi adstrictionem patiuntur; aut repletione nimiâ laborant, propinandæ sunt potiones copiosæ refrigerantes idoneæ, de quibus omnibus suo loco inferiùs. In Chirurgiâ, æstui febrili se-

(a) *Sect. 1. Aph. 11.* (b) *Meth. med. lib. 9. cap. 14.*

ſedando, an ſanguinis miſſio conveniat, in quibus, & quando opportunè conveniat, id quoque de febribus ſingulis ſermonem in ſequentibus habentes, quantâ valeamus induſtriâ, protulimus.

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Comparantur aliorum de febre cum noſtrâ definitiones.

DEfinitionem, quam de febre tradidimus, ſi quis accuratè perpendat, longè ſatiùs per eam, febris naturam propriè, ac clarè circumſcriptam nos expoſuiſſe ſibi ſuaſum iri non diffidimus, Dialecticâ dummodo probè inſtructus, rectè definiendi, deſcribendique genuina calleat præcepta; quàm, ſi aut cum Hippocrate, aut cum Galeno quis dixiſſet: *converſionem eſſe nativæ caliditatis in igneam naturam*; aut cum Avicenna: *calorem eſſe præternaturalem in corde accenſum, & mediantibus ſanguine, & ſpiritibus, per arterias, & venas in totum corpus diffuſum*; aut cum Williſio: *motum eſſe inordinatum ſanguinis, ejuſque nimiam effervescentiam cum calore, ſiti, aliiſque præterea ſymptomatibus, quibus œconomia naturalis variè perturbatur*; aut, non ita pridem, cum ipſo Bellino: *vitium eſſe ſanguinis, aut in motu, aut in quantitate, aut in qualitate, aut in horum aliquibus, aut in omnibus*; omnes quippe ſuperiùs allatæ definitiones, tantorum Virorum cum veniâ dixiſſe liceat, vel planè obſcuræ ſunt, vel falſæ, vel ſaltem non propriæ, eoquòd ſolis febribus nonmodò conveniant, verùm et ad alias extendantur affectiones.

ANIMADVERSIONES AD SEMIOTICEN SPECTANTES.

Quid ſint ſigna, eaque in ſuas claſſes diſtribuuntur.

SIgnum dicitur *quicquid rem aliquam ſignificat*, ſive *quicquid evidens eſt, cujus ope res aliqua occulta quodammodo educitur*; quamobrem in Re medicâ, in eâ videlicet Medicinæ parte, quam *Semioticen* appellavimus, ſignum vocamus *quicquid, aut declarat, aut notum facere valet ea, quibus indigemus in medendi methodo, ut dignoſcamus, an corpus humanum vivens ægrotet, cujus generis ſit affectio, quâ ægrotat &c.* Hinc alia dicuntur *ſalubria*, alia *inſalubria*, alia *neutra*, utpote quæ, vel ſanitatem indicent corporis humani viventis proſperam, vel adverſam, ſive morbum, vel neutram ejuſdem corporis diſpoſitionem, quam ut poſſibilem profert Galenus. Rurſus alia vocantur *pathognomonica*, ideſt *morbum indicantia*. Alia *ſynedrevonta*, nimirum *aſſidentia*. Pathognomonica morbum indeſinenter comitari ſolent; cum eo quippe incipiunt, augentur, imminuunturque, uſque dum tandem deficiant; ideoque morbi eſſentiam propriè commonſtrare valent. Synedrevonta morbis non cohærent neceſſariò, neque eorum indicant eſſentiam; verùm indicant potiùs quicquid affectionibus evenire ſolet per accidens, ratione ſcilicet, tum *magnitudinis*, tum *indolis*, tum *eventus*. Signa hæc prodeunt utplurimùm proceſſu morbi; quocirca nuncupantur quoque *epiphænomena*, nimirum poſt apparentia, *epigenomena*, hoc eſt poſt genita. Præterea alia eorum præſentem indicant corporis humani viventis ſtàtum, dicunturque *diagnoſtica*, ſive *demonſtrativa*. Alia prænunciant futura, dicunturque *prognoſtica*. Alia præterita commemorant, dicique ſolent *commemorantia*, ſive *anamneſti-*

ſti-

ſtica, quæ tamen paſſim, tum ſub diagnoſticis, tum ſub prognoſticis comprehenduntur.

ALIÆ ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quid ſint cauſæ; eæque in ſuas claſſes diſtribuuntur.

QUicquid morbis excitandis quomodocumque, aut confert, aut conferre valet, id *morbi cauſa* dicitur. Hinc aliæ dicuntur *per ſe*, aliæ *per accidens*. Per ſe dicitur, quum agit primò tanquam cauſa efficiens, ratione illius, quam producit affectionem; ut *ſcammonium* ex. gr., quod, calidiſſimum licèt cenſeatur, bilem nihilominus, penes Galenicos, calidoſque humores egerit: tanquam cauſa *per ſe*, viſcera impensè præter naturam calefacere valet, eorumque inflammationes inducere: eadem contra viſcera, tanquam cauſa *per accidens*, humores calidos educendo, poteſt quandoque præter naturam refrigerare; ideoque tanquam cauſa per accidens idoneum cenſeri poteſt *ſcammonium*, hepatis ex. gr. intemperiei frigidæ, & ſiccæ pariendæ. Præterea, modò appellatur *cauſa principalis*, modò *adjuvans*, modò *ſine quâ non*. Principalis eſt, quæ affectionem proximè producit, quæque ſola eam inducere valet. Adjuvans eſt, quæ ſola quamvis affectionem non inducat, aliis tamen, ut inducatur, auxiliatur; requiritur nimirum tanquam conditio neceſſaria. In *tumore* ex. gr., qui ob contuſionem extrinſecùs intumeſcit, tubuli contuſi, & labefactati, partem affectam licèt non attollant tanquam cauſa efficiens, ſunt tamen veluti conditio perquamneceſſaria, ut pars affecta in tumorem attollatur; quæ profectò in iis circumſtantiis neutiquam attolleretur, atque intumeſceret, niſi in tubulis læſis humores ſtagnando concreſcerent, eorumque propterea parietes ex interioribus versùs exteriora

in omnem dimensionem propellerent. Rursus dici potest modò *proxima*, modò *remota*, prout vel proximè, vel remotè morbos inferat. Item modò *exterior*, modò *interior*. Exterior, vel est necessaria, vel nonnecessaria. Causæ exteriores necessariæ sitæ sunt in vitio quodam, sive abusu sex rerum nonnaturalium, de quibus ante jam diximus; quæ, quum benè se habeant, & quum iis probè, ac opportunè utamur, morbos quamvis non inferant, necessariò tamen quodammodo afficere debent corpus humanum vivens, quod secus vivere diù nequaquam posset. Non ita ex. gr. lapidis ictus, viperæ morsus, & reliqua, quæ, quum sint fortuita, inter causas morborum exteriores nonnecessarias recensentur. Causæ interiores, quæ videlicet, in recessibus corporis humani viventis delitescentes, sensibus haud quaquam obversantur, sed per simplices conjecturas deprehenduntur, sunt vel *antecedentes*, vel *conjunctæ*. Antecedentes movent conjunctas, ut affectionem proximè pariant. Quocirca in tumore præter naturam sine causâ manifestâ extrinsecùs exorto, humor, qui ad partem confluit affectam, priùs quàm ibi stagnet, causa antecedens est. Humor stagnans, qui jam confluxit, & qui tumorem proximè producit, causa conjuncta vocatur. Id de causis quoque exterioribus, quæ propterea exteriores conjunctæ nuncupantur, tum, quum morbum proximè pariant, dicendum est. Telum ex. gr. quod vulnus inflixit, ratione vulneris inflicti, est causa externa conjuncta. Causæ exteriores antecedentes passim in Re medicâ vocitantur *procatarcticæ*, idest *præincipientes*. Causa conjuncta, vel *simpliciter conjuncta est*, vel *continens*. Conjuncta simpliciter est, in exemplo superiùs allato, telum vulnus infligens, quo posito ponitur et vulnus, eoque tamen ablato, vulnus haud aufertur. Continens est, quâ positâ, ponitur morbus, & sub-

& ſublatâ, morbus, quem infert, aufertur. Calculus iccirco obſtructionem faciens in collo veſicæ, non injuriâ haberi poteſt veluti cauſa conjuncta continens interior, ratione ſuppreſſionis urinæ; quæ eo in caſu, ideo non egeritur, quia calculus reſiſtit.

ALIÆ ANIMADVERSIONES AD SEMIOTICEN SPECTANTES.

EX ſignis prognoſticis, quæ uti monuimus, in morbis futura indicant, alia deſignant morbi *eventum*, an videlicet ad ſalutem, an ad interitum tendat. Alia *tempus eventus*, an brevi nimirum, an diù duraturus ſit. Alia *modum in eventu*, an ſcilicet quâ ſolvendus ſit criſi, ſi ad ſalutem; an quibus opprimi ſymptomatibus debeat æger, ſi ad interitum. Varia, ratione prognoſis, ſignorum genera.

ALIÆ ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

QUicquid cauſa morbi in corpore humano ægrotante, præter morbi eſſentiam, producit præter naturam, ſive moleſtum, dicitur ſymptoma, quod reverà nihil aliud eſt, quàm *accidens, ſive potiùs modus præternaturalis, ſive eſſentialis, ſive accidentalis, qui morbi eſſentiam inſequitur, & ſine eâ ſubſiſtere nequit*. Eſſentiam morbi inſequitur, aut prioritate tantùm *naturæ*, aut prioritate *temporis*, & *naturæ*, ſive aut proximè, aut remotè. Quamobrem triplex eſt ſymptomatum genus. *Actio læſa*. *Excrementorum vitium*. *Qualitas partium mutata*. Quid ſit ſymptoma.

ANI-

ANIMADVERSIONES THERAPEUTICÆ.

Distribuitur medendi methodus in suas classes, in Diætam scilicet, Pharmaciam, & Chirurgiam.

MEdendi methodus, in quâ præsertim sita est curatio therapeutica, apud Capivaccium, aliosque nonnullos Praxis Medicæ scriptores, est *Ars, quâ per indicationes inveniuntur auxilia, ut deperdita sanitas corporis humani viventis restituatur*. Medicinæ pars, quæ de hac agit arte, Græcis *Therapeutice* nuncupatur. Indicatio, penes Practicos, est *ostensio auxiliorum, sive potiùs agendorum demonstratio*. Dicitur quoque *communitas*, item & *scopus*, quæ voces frequentissimè a Clinicis usurpantur. Scopum tamen luculentiùs describendum existimamus, *perceptionem esse, sive comprehensionem juvantis ex indiciis in morbo desumpti*. Quicquid percipitur juvans, vocatur *indicatum*; quæ indicant, dicuntur *indicans*. Nexus inter indicans, atque indicatum, vocatur *indicatio*. In tumore, qui præter naturam extuberat, habemus indicia humoris stagnantis; qui, ut curetur, resolutionem indicat; ac propterea humor stagnans hoc in casu indicans est. Resolutio, sive præsidia, quæ resolvere debent, sunt *indicatum*. Mutua connexio, quam inter humorem stagnantem in parte affectâ *resolvendum* percipimus, & *resolutionem*, ratione curationis, est quod *indicatio* dici debet. Auxilium, sive præsidium idem fermè sonat, ac si dicas *remedium*: id nimirum, quod sanitatem, aut præsentem conservare, aut amissam restituere valet. Ex triplici fonte desumuntur auxilia. *Diætetico*. *Pharmaceutico*. *Chirurgico*. Diæta dicitur victus ratio, vivendi modus, ac lex, certa victus institutio, & norma, non in solo cibo, potuque consistens, verùm in omnibus aliis rebus nonnaturalibus dictis. Pharmacia hìc sumitur pro eâ therapeuti-

ces,

ces, necnon etiam hygienes parte, quæ versatur circa auxilia per os sumenda; quæ vocantur quoque præsidia, sive auxilia, sive remedia interiora, atque universalia. Chirurgia propriè est ea pars tum hygienes, tum therapeutices, quæ rectam beneficio manus, equeac instrumentorum, pro sanitate, vel conservandâ, vel recuperandâ, nos docet administrationem. Hìc tamen sumitur pro eâ Medicinæ parte, quæ versatur in auxiliis exterioribus, partibus externis præsertim apponendis, sive injiciendis, quæ propterea vocari quoque solent *auxilia particularia*, *localia*, sive *topica*.

CAPUT II.

De Febre Ephemerâ.

Descriptio Febris Ephemeræ.

FEbres, aut continuæ sunt, aut intermittentes, aut continuæ intermittentes, quæ *periodicæ* quoque passim nuncupantur. Continuæ distribuuntur in *Ephemeras*, *Acutas*, & *Chronicas*. Acutæ modò *benignæ* sunt, modò *malignæ* &c. Febris Ephemera, sive *Diaria*, *est febris quædam continua simplex, sive benigna, quæ sine periculo citissimè solvitur per circuitum utplurimùm viginti circiter quatuor horarum.* Hinc dicitur *ephemera*, unius videlicet diei.

Diagnosis.

Febris ephemera ferè semper excitari solet præviâ quadam levi per cutim universam horripilatione; quam insequitur calor febrilis, intensus licèt, æqualis tamen a principio ad finem, nullo alio intercurrente paroxysmo. Cutis præterea in febre ephemerâ affectis mollis, atque humida, sive leniter madida tactui esse solet. Cæterùm reliqua omnia, quæ reliquis in febribus indiscriminatim observamus symptomata, et febres ipsæ ephemeræ habere solent. Fe-

Causa. Febrem ephemeram exoriri plerùmque observamus, præpeditâ recrementorum, sive sensilium, sive insensilium, per minimos cutis meatus, expiratione. Enim verò frequentes sunt potissimùm tempore hyemali, ubi aer, flantibus præsertim aquilonibus, rigidior, ac gravior factus, validiùs comprimit cutem, ac in cute comprimit glandulas, earumque vascula excretoria, item & valvulas minimas, ac meatus minimos, in quibus sistit minimorum effluvia expiranda; quæ in massam iccirco sanguinis retrogressa pravam sanguinis inducunt fermentationem: idest eam fermentationem, unde oritur ephemera; quæ haud cessat, nisi fermentum illud febrile non congruum, atque effœtum, sive effervescendo absumatur, sive in sudorem, aut in urinam excernatur, vel alio quovis pacto a reliquo sanguine, ut ita dicam, despumetur. Nil mirum igitur, si suscitetur ephemera, sudore intempestivè præcluso aut salivatione interceptâ, fluxuque compresso hæmorrhoidali &c. quæ non aliâ ex causâ febres hasce passim movisse deprehendimus.

Prognosis. Febris ephemera, utì ex hactenus dictis hauriendum est, omni periculo vacare solet. Quinimmo, & sponte, ut ita dicam, suâ procul ab omni operâ medicâ, sive in sudorem, sive saltem in madorem ex cute universum, utplurimùm extenuatâ, resolvitur. Non est tamen quod, & ob errores in victu, aliisque rebus ad diætam spectantibus, & ob præsidia medica præposterè adhibita, tandem aliquando exulcerata degenerare non possit in *synochum putridam*, in *hecticam*, aliasque graviores affectiones. Hinc, ne id succedat, cautè semper incedendum.

Curatio. Quinimmo, quia ephemera, utì diximus, citissimè solvitur, ideo satiùs conducit semper ejus solutionem prorsus relinquere naturæ, ac temporis beneficio.

Aer,

Aer, quem respirare hoc in casu debet æger, eligatur temperatus, & quantùm possit purus. Nocent insolationes, balnea frigida, aer ventilatus, & reliqua, quæ, vel nimiùm movent, vel transpirationem sistunt. Victus perquamtenuis sit, concoctu facilis, atque humidus, quinimmo & plerùmque nullus. Potiones conveniunt potiùs tepentes, frequentes, & largæ; quæ propinari possunt ex aquâ simplici hordeaceâ, sive mellitâ, sive saccharatâ. Necnon etiam conveniunt decoctiones thè, caffè, infusiones florum violarum, borraginis cum corticibus citri, sive aurantiorum &c., quæ diaphoresin, item et diuresin citra periculum blandè movere valent. Si adsit repletio, alvo præsertim suppressâ, injiciendi sunt clysteres, horis tamen opportunis, simplicissimi, ex eâdem aquâ hordeaceâ, modicè aut salitâ, aut saccharatâ, aut mellitâ, sive ex decoctionibus emollientibus, ex jure, & similibus, quæ ventrem leniter concitant, atque intestina fovent, humectantque. Defricationes quoque per cutim universam, & cucurbitulas leves membris extrinsecùs ubique defixas plurimùm idoneas febribus hujusmodi mitigandis, solvendisque existimamus. Verùm enim verò, quandoquidem ad praxin medicam faciendam meliùs erudire nemo poterit Tyrones, quàm ipsa experientia, Rerum præsertim medicarum dux, & magistra, ad calcem singulorum capitum, historiam practicam exponendam suscepimus; ut inde luculentiùs quisque seligat quicquid practicè in eâ præstare debeat affectione, quam clinicè tractare aggreditur, & quam pridem, theoricè tantùm, atque in genere, ut ita dicam, proposuimus.

Historia I.

Quicquid, febri Ephemeræ medendo, præstare consuevimus, historiâ declaramus.

Tityrus agrestis ætatis suæ annum agens decimum circiter octavum corporis validi, modicæ staturæ, non pinguis, neque macilentus, plethoricus tamen, Mense Decembri venando plurimùm insudans, ac sudore repente præcluso, febre ardentissimâ, prævio autem per artus præsertim, necnon etiam per dorsum, & lumbos, rigore, inde corripitur. Conqueritur in paroxysmo de dolore capitis acuto, ac permolestâ temporum pulsatione, sitique intensâ. Pulsum habet celerem, & magnum, cutem mollem, humidamque unà & cætera symptomata, quæ febrem ephemeram ex cutis constipatione, utì pridem exposuimus, futuram fore, prædicere solent. Quamobrem nisi vehementiora subsequerentur, eam haud maximi fecimus; non desperantes crisi quadam, sive sensili, aut per sudorem, aut per urinam, sive saltem insensili per minimos cutis meatus erumpente, brevì solutum iri. Iccirco, ut a cibo prorsus per horas 24. sese abstineret æger, constituimus. Quinimmo, quia crapulis ante indulserat, & alvus erat adstricta, eam clystere blandè solvendam existimavimus. Quocirca clysterem simplicissimum ita præscripsimus A. Et ad sitim restinguendam, emulsionem hanc B, quam, ut ad libitum largè biberet, potestatem fecimus.

Itidem diaphoresi tempestivè promovendæ, cutim universam, palmis oleo amygdalarum dulcium inunctis, ut leniter defricaretur, fecimus. Enim verò, eâ per vices largè haustâ emulsione, clystere unà et fœcibus abundè restitutis, ac universo corpore, ut ante jam innuimus, defricato, placidè obdormivit æger. Sudor per universum corpus erupit, & febris ante horam a morbi principio 18. planè cessavit. A ℞.

A ℞. *Mell. comm. unc.iiij. Sal. comm. dragm.ij. Aq. hord. q.s.m. pro clystere, ut m.*

B ℞. *Sem. melon. unc.ij. Aq.Nucer., sive comm. lib.j. m. f. emul. S. A., & adde Syr. violat. violac.unc. ij. b., ut m.*

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quid sit [illegible]m, au[illegible]tum, status, & declinatio morbi.

IN plerisque morborum quatuor distinguuntur tempora. *Principium. Augmentum. Status. Declinatio.* Principium nuncupatur quoque propriè *invasio*, sive *accessio morbi*. Augmentum dicitur quoque *exacerbatio morbi*. Status propriè vocatur *vigor morbi*, sive paroxysmus, a nonnullis quamvis promiscuè dicatur *paroxysmus* invasio, item et *accessio*. Declinatio, quæ tamen utplurimùm deest in morbo lethali, qui multò ante plerùmque interimit, nuncupatur etiam *finis*. Id, nonmodò de morbis præcipuis, verùm etiam de symptomatibus nonnullis, & de singulis præsertim recursibus, qui, aut periodicè, aut erraticè, aut alio quovis pacto in affectionibus potissimùm intermittentibus invadunt, dicendum est.

ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Quid sit clyster.

CLyster, *clysterium*, *clysma*, aut *enema*, nonnisi *injectionem*, sive *ablutionem* in Praxi medicâ sonant. Clinicè tamen usurpatur utplurimùm pro injectione fluidorum in anum, sive in intestinum rectum, beneficio fistulæ, aut tubi cujusdam idonei. Alii dicuntur alterantes, purgantes alii; quibus addunt item et roborantes, ratione qualitatis rerum, quibus parantur. Nos autem eos distinguendos satiùs ducimus in emollien-

lientes, atque irritantes; in quibus id potiſſimùm adnotare juvabit; eos planè falli, qui, ut alvus validiùs purgetur, clyſterem emollientibus, unà atque irritantibus componunt, haud prævidentes, quicquid emollit, acrimoniam irritantis enervare; non ſecus ac quicquid irritat, vim non ſemel emollientem fruſtrari.

An per clyſteres nutriri, ac refocillari poſſit corpus humanum vivens.

Clyſteres in genere quò ſimpliciores ſunt, eò plerùmque validiores, citrà quamvis maximum ægrotantis incommodum alvum cieant. Quamobrem eos ex ſimplici aquâ hordeaceâ, ſive modicè ſalitâ, ſive mellitâ, ſive ſaccharatâ frequentiſſimè præſcribere conſuevimus, optimo ferè ſemper cum ſucceſſu. Præter clyſteres præfatos, habemus quoque clyſteres refrigerantes, anodynos, refocillantes, necnon etiam nutrientes. De clyſteribus anodynis id adnotemus præ cæteris oportet, opiata, doloribus inteſtinorum ſedandis, per clyſteres immiſſa, ſi doſin convenientem ſuperant, ſoporem quandoque lethalem intuliſſe. An verò liquor per clyſterem injectus refocillare, & nutrire poſſit, id hactenus incertum eſt. Quod refocillare poſſit utplurimùm probabile exiſtimamus. Quod poſſit nutrire, id maximas, penes nos, patitur difficultates, & quamvis omittamus, portionem ſaltem quandam tenuiſſimam fluidi illius, quod clyſtere impellitur in fiſtulam inteſtinorum, per vaſa lactea ex colo perduci in receptacula Meſenterii, ut ibi cum chylo immiſceatur; nihilominus rem perdifficilem ducimus, ut in alimoniam partium alendarum tranſire valeat, niſi in ventriculo priùs, atque in inteſtinis, ope ſuccorum digeſtionis, extenuatus ſit, alteratus, atque digeſtus; quod fieri nequaquam poteſt, niſi materia enematis ex inteſtinis craſſis transferatur in tenuja; quò ſanè, valvulâ Bauhini reluctante, transferri nequit.

quit. Et in volvulo, si clysteres quandoque immissos nonmodò, verùm et fœces ipsas vomitu egestas observemus, id præter naturam, motu intestinorum peristaltico inverso, evenisse haud dubitandum.

Temporibus ferè nostris a Recentioribus excogitatum quoque fuit instrumentum quoddam, quo, vel fumum tabaci in usum clysteris per anum sibi quisque commodè adhiberi, immittique possit, intestinorum doloribus contumacioribus, citò, blandè, ac opportunè sedandis, discutiendisque. Instrumenti hujusmodi structuram, formam, item et modum adhibendorum id generis clysterum, fusè nobis descripsit Bartholinus (*a*); necnon et Federicus Dekkers. (*b*)

Clyster ex fumo tabaci per anum immisso.

CAPUT III.

De Synocho simplici.

QUum ultra spatium horarum 24. producatur febris continua benigna, quod nonrarò contingit, solvi nequaquam solet, nisi ad quartam, aut quintam, aut septimam diem; quo in casu, si intra terminos hosce feliciter solvatur, propriè dicitur *Synochus simplex*. Sin autem eos prætereat, & ulteriùs perducatur, vocatur *Synochus putrida*, aut *fermentativa*. Definiri itaque potest Synochus simplex, *febrem esse continuam simplicem, sive benignam, quæ utplurimùm, utpote benigna, sine periculo effervescit, neque ultra diem septimam producitur*. *Synochus* dicitur, quasi continens, idest contiguum, sive non intercisum. Hujus causam sibi suadebant Majores in vasis duntaxat contineri, atque humores propterea, solidis partibus planè illæsis, tantùm affici.

Definitio synochi simplicis.

Sy-

(a) *Cent. 6. hist. anatom. 66.* (b) *Observ. suis pract. circa diuretica.*

Diagnosis. Synochus ſimplex eadem ferè habet ſymptomata, quæ habere ſolet ſimplex ephemera. Synochus tamen ſimplex ſub veſperam plerùmque exacerbatur, atque a cibo ſumpto, quod de ſimplici ephemerâ haud obſervamus. Ideo ſub veſperam exacerbatur, quia aer veſpertinus craſſior, atque impurior factus, ſpiramenta cutis extrinſecùs plurimùm immutare, atque per pulmones inſpiratus maſſam ſanguinis intrinſecùs inficere valet. Neque mirari debemus, ſi chylus non procul a paſtu, rudis, indigeſtus, & crudus per ductus lacteos, & per thoracicum in vaſa ſanguifera proximè immiſſus, fermentationem ſanguinis naturalem magis, magiſque turbet, atque excandeſcentiam febrilem validiùs foveat.

Cauſa. Quum Synochus ſimplex nihil aliud ſit, quàm longior, & validior, ut ita dicam, ephemera, credendum eſt, vitium ſanguinis, quod pravam in febribus fermentationem inducit, majus eſſe nonnihil in ſynocho ſimplici, quàm in ſimplici ephemerâ, utpote quæ mitior, utì ante jam diximus, & brevior eſſe debeat.

Prognoſis. Synochus ſimplex, levis licèt, & ſine periculo plerùmque ſit, quum majori tamen periculo haberi debet, quàm ſimplex ephemera. Perſæpè ad quartam, ad quintam, & ad ſeptimam tendit diem, & nonniſi aut ſudore, aut urinâ, aut quandoque hæmorrhagiâ extenuatur.

Curatio. In Synocho ſimplici tenuis ſit victus, humectans, refrigerans, concoctuque facilis. Potiones largæ conveniunt, non ſecus ac in capite præcedenti ad ephemeram curandam propoſuimus; quinimmo, & quum ardor febrilis impensè urgeat, optimo cum ſucceſſu gelidas quoque ad nimium viſcerum æſtum febrilem compeſcendum ſubacidas non ſemel propinavimus. Ad ſordes ex meatibus primarum digeſtionum detergendas, necnon et ad inteſtina fovenda, abluendaque, clyſteres conveniunt refrigerantes, atque emollientes. In ple-

plethoricis ſanguinis miſſio haud negligenda, & tum, quum maximè, vel menſtrua ſuppreſſa, vel fluxum interceptum hæmorrhoidalem, vel ex naribus, ſubſequuta ſit ſynochus. Defricationes, cucurbitulæ, inunctiones, & fotus modicè tepentes, & reliqua exteriora, quæ cutim extendunt, atque emolliunt, ejuſque meatus explicant, opportunè adhibita, nonniſi plurimùm conferre valent.

Hiſtoria II.

Quicquid, Synocho ſimplici medendo, præſtare conſuevimus, hiſtoriâ declaramus.

DAmætas viator, vir ætatis annorum triginta, optimè conſtitutus, temperamenti, quod vocant calidum, & humidum, ſive ſanguineum, habitus plethorici, nonnihil pinguis, proceræ ſtaturæ, ac penè athleticus, qui ſanguinem floridum, ſtatis temporibus, ac propemodum periodicè vere quotannis ex naribus emittere conſuevit ad libram, & ultra, non ſine maximo œconomiæ animalis commodo. Menſe Aprili ſubdio equitans, aere ſereno, ac feriantibus ventis, ob Solis ardorem plurimùm inſudat. Propè veſperam, zephyro flante frigidiuſculo, ceſſat illico ſudor. Paulò poſt rigore quodam correptus, unà et doloribus per articulos potiſſimùm circumvagis, iter ſiſtit. In proximâ recumbit tabernâ. Rigorem, qui ad horam circiter duravit, inſequitur ardor febrilis, levis quamvis initio, vehementiſſimus exinde. Incœnatus obdormit inquietus, atque inſomniis exagitatus. De dolore capitis pergravi potiùs, quàm acuto, conqueritur expergefactus. Sitit, fauces quamvis, unà et linguam humidam habeat. Pulſus frequens eſt, æqualis autem, & altus. Urinæ ſanorum ſunt ſimiles. Facilè reſpirat. Congruè decumbit. Mollis, ac rore veluti quodam tenuiſſimo ſuperfuſa extrinſecùs deprehenditur cutis. Sub veſ-

vesperam, eâdem fermè horâ, quâ pridiè sese manifestavit, exacerbatur febris. Postridiè diluculo nobis in Nosocomio sese commisit curandum. Pulsum iccirco, symptomata, æquè ac causas sedulò explorantes, febrem, quâ Damætas laborabat, synochum fore simplicem non desperavimus. Ad alvum itaque, quæ diù compressa fuerat, concitandam, clystere simplici immisso, libram circiter sanguinis ex brachio confestim educendam duximus; atque horâ circiter a phlebotomiâ elapsâ, ut sitim largè expleret, potionem hanc A frigidiusculam præscripsimus. Neque alio victu in refectionem bis in die utebatur, quàm ferculo ex hordeo, & pane in jure modicè salito, elixato, atque expresso, ovorum vitello superaddito. Pro potu ad libitum sorbebat, aut aquam simplicem hordeaceam, aut nucerianam, aut communem cum sacchara depurato, succo, & corticibus, sive citri, sive limonum non insuaviter paratam. Siti haustibus reiteratis præscriptæ potionis, expletâ, horis duabus circiter a sanguinis missione placidè obdormivit. Longè meliùs sese habere experrectus prædicabat. Enim verò febris inde in dies semper decrescere cepit, donec eâdem in omnibus ab ægro servatâ methodo, sudore uberrimo sub finem a decubitu diei quartæ omnino evanuit.

A ℞. *Syr. de pom. unc. ij. de cort. citr. unc. j. Aq. Nucer., sive font. puriſſim. lib. iv. Succ. limon. q. s. ad g. s. m. f. p., & largè bibat iterum, atque iterum, donec sitis omnino restinguatur.*

ANIMADVERSIONES PHYSIOLOGICÆ.

Conditiones in pulsu explorandæ.

NIhil aliud est pulsus in corpore humano vitam habente, quàm *cordis, arteriarumque motus sensilis, qui in organis ejusdem corporis humani alterna-*

natur per ſyſtolen, *&* *diaſtolen*. Fit, ex Veterum ſententiâ, a facultate vitali, ut caloris nativi conſervetur temperies. Ex quo patet, cor, item et arterias eſſe pulſus inſtrumenta. Cauſæ autem pulſus efficientes eædem planè ſunt, quas, ratione motus cordis, arteriarumque, jam ante expoſuimus. Motus arteriarum, item et cordis præfatus ſenſilis, qui, neque in omnibus, neque idem ſemper eſt ſibi ſimilis vel in uno eodemque individuo, maximam pulſuum differentiam, ac varietatem, ſive *abſolutam*, ſive *reſpectivam* efficit; quæ, ut in praxi optimè diſtinguantur, exigunt, ut ratione eorum id hìc maximè adnotemus, quum pulſus non ſit reverà, niſi motus contractionis, atque expanſionis cordis, arteriarumque, quinque imprimis in eo expendere opus eſſe, *movens*, *ſpatium*, per quod fit motus, *tempus*, *quietem* inter unum, & alterum ictum, *inſtrumentum*.

Declarantur præfatæ pulſus conditiones.

Ictus propriè dicitur in pulſu motus arteriarum tactui in carpo præſertim occurrens. Quies appellatur intervallum, ſive temporis ſpatium, quod inter ictum utrunque intercedere ſolet. Ratione iſtorum, videlicet ratione ſpatii, pulſus ſimplex dicitur, *magnus*, diciturque *parvus*. Ratione temporis dicitur, aut *celer*, aut *tardus*. Ratione quietis, aut *creber*, aut *rarus*. Ratione momenti, quod ictibus exercet, aut *vehemens*, aut *debilis*. Ratione inſtrumenti, arteriarum nimirum, aut *durus*, aut *mollis*.

Magnus dicitur, qui ſpatium ſuperat motui arteriarum conceſſum a naturâ. Contra nuncupatur parvus.

Celer eſt, quum arteria pulſans brevi tempore ſpatium percurrit, ſeſe tum explicando, tum contrahendo. Contra vocatur tardus.

Frequens, ſive creber eſt, quum arteria brevi interpoſitâ pulſat quiete. Contra vocatur rarus.

Vehemens eſt, qui tangentes digitos validè ferit, & quodammodo reluctatur. Contra vocatur debilis.

Durus eſt, quum digiti tangentes arteriam in carpo duram quaſi, & reſiſtentem offendunt, quæ propterea haud facilè cedit. Contra vocatur mollis,

Quid ſit pulſus compoſitus, & præſertim intermittens.

Ex ſpeciebus pulſuum præfatis ſimplicibus, aliæ componuntur, quæ propterea dicuntur compoſitæ: magnus nimirum, & celer &c.: rarus, & debilis &c.: tardus, & rarus &c., & ſic de aliis. Ex quo patet pulſum ſimplicem componi quandoque poſſe. De iis tamen experientia, & uſus potiùs quàm deſcriptio, quantumvis ſcrupuloſiſſimè, ut ita dicam, exarata, Tyrones erudire poterit; quamobrem, ne tempus fruſtra teramus, brevì hìc tandem adnotandum ſupererit, pulſum intermittentem eſſe, quum arteria ita inter utranque pulſationem quieſcit, ut pulſatio una, duæ, vel tres &c. inter utranque deficere videantur; ſive, quum poſt unam, vel plures pulſationes intermiſſas iterum pulſare incipiat.

Quid ſit pulſus intercurrens, ſive intercidens.

Intercurrens, ſive intercidens vocatur, qui omnino intermittenti opponitur. In hoc ſiquidem inter utranque pulſationem plures aliæ diverſi, ut ita dicam, generis intercurrunt, quæ crebritatis inæqualitatem inducunt.

Quid ſit pulſus deficiens.

Deficiens nuncupatur, quum ictibus quibuſdam inæqualibus perceptis, planè deficere, & ceſſare videatur arteriarum motus; qui, ſi in priſtinum redeat, tales pulſationes inducit, quæ tum conſtituunt pulſum reciprocè deficientem. Neque aliud intereſt diſcrimen inter pulſum verè intermittentem, & reciprocè deficientem, niſi quod reciprocè deficiens poſt longum intervallum, quo pulſus omnino deficere videtur, iterum, ut ita dicam, reviviſcit. Intermittens autem poſt quatuor,

tuor, aut quinque ictus ad summum intermissos, revertitur.

CAPUT IV.

De Synocho putridâ, sive fermentativâ.

Synochus, quæ *fermentativa*, sive *putrida* nuncupatur, ideo id sibi nominis a Majoribus comparavit, quia a putredine quadam sanguinis fermentescente exoriri opinabantur. Nihil aliud est, quàm *febris continua, atque acuta, quæ cum periculo producitur, ob vitium humorum intensius, quod validiorem propterea, diuturnioremque pravam inducit fermentationem, ac graviora iccirco infert symptomata.* Definitio synochi putridæ, sive fermentativæ.

In Synocho enim putridâ, calor, capitis dolor, & reliqua longè magis infesta esse solent, quàm in synocho simplici. Pulsus insuper variè micantem sese perhibet. Genæ intensè rubent; necnon etiam maculis, quandoque et livescentibus, cutis universa suffunditur. Variæ sunt urinæ. Alvi excrementa prætermodum graveolent. Non raró supervenit diarrhœa. Intumescunt hypochondria. Anxius quandoque fit æger, deliquiis cum sudore frigido obnoxius &c., quæ omnia maximam œconomiæ animalis perturbationem præseferunt. Diagnosis.

In hac, non secus ac in cæteris febribus, in quibus calor præter naturam intenditur ob pravam sanguinis adauctam fermentationem, in causam adducere possumus quicquid non congrui, &, ut ita dicam, extranei massæ sanguinis immixtum, eam ita inficit, turbatque, ut partes sanguinis fermentativæ, quas, ratione fermentationis, *acidas*, atque *alkalicas* appellavimus, solutæ, suique juris propemodum factæ, parte præsertim oleacea, Causa.

ceâ, atque balſaminâ, quam *ſulphuream* diximus, ſive abſumptâ, ſive præcipitatâ, ſive a reliquis prorſus extricatâ, liberè coeunt, atque adeo longè magis efferveſcunt. Ex quo, & calor præter naturam augetur, & cor irritatur, necnon etiam variæ fiunt ſeri, lymphæque fuſiones, ac variæ ſanguinis in tubulis potiſſimùm capillaribus congeſtiones; quæ præcordiorum anxietatem, deliquia, ſudores frigidos, ac maculas exteriores, hypochondriorum tenſiones &c. inducunt.

Prognoſis. Synochus putrida, quum in eâ, utì monuimus, œconomiæ animalis everſio longè major ſit, periculoſa ſemper habenda; eòque periculoſior, quò gravioribus ſtipatur ſymptomatibus. Solvitur perſæpè critico ſuperveniente ſudore, interdum urinâ abundè excretâ, nonrarò alvo ſolutâ, ac fœcibus copiosè egeſtis, quandoque hæmorrhagiâ, longè rariùs vomitu.

Curatio. Victus Synocho quoque putridæ curandæ, ut ſit idoneus, eligendus eſt tenuis, humidus, concoctuque facilis, & refrigerans. A ſordibus officinis digeſtionis detergendis,& tum quum maximè repletionis, & congeſtionis appareant indicia, conducunt clyſteres, item et purgantia leniora, quæ parare convenit floribus caſſiæ, electuariis lenientibus, ſyrupis roſaceis, infuſionibus ſenæ orientalis tartariſatis, in ſero præſertim caprillo &c., modò blandè, ac leniter alvum concitent. Si adſit plethora, ſanguis educendus; in quo tamen animadvertendum, an extent malignitatis indicia, ſiquidem hoc in caſu cautè admodum incedendum. Ad ſanguinis nimiam excandeſcentiam reprimendam conducunt decoctiones,æquè ac infuſiones ex floribus,herbis,&radicibus refrigerantibus,emulſiones ex ſeminibus ejuſdem generis,aquæ per deſtillationem elicitæ ex cichoreo,borragine, ſoncho, radicibus graminis &c. Plurimùm idoneum cenſemus quoque in hunc finem ſerum caprillum depura-

ra-

ratum, aquam, five nucerianam, five hordeaceam, five avenaceam, five alteratam per infufionem corticum citri, & reliqua; quæ largè haufta diluunt, folvuntque quicquid in Synocho putridâ pravam fermentationem excitaverit. Quinimmo, fi calor febrilis magis magifque adhuc intendatur, cum oris præfertim amaritudine, potiones nonnihil fubacidas ad bilem coercendam feliciffimo femper cum fucceffu propinavimus. Defricationes interim, cucurbitulæ, fotus aquæ tepentes ad hypochondria, inunctiones, & reliqua ejufmodi, quæ diaphorefin provocant, membranas exteriores explicant, emolliuntque, atque humores per tubulos, æquè ac glandulas cutaneas in gyrum promovent, non negligenda. Potiones, quæ præfertim interdiù propinantur, nifi immineat, five interior, five exterior inflammatio, frigidas potiùs in Synocho fermentativâ, quàm tepentes commendamus, quæ vifcerum perquammoleftum ardorem ex nimiâ fanguinis fermentatione fuaviter demulcent.

Hiftoria III.

ÆSchinus, qui vigefimum quartum ætatis nondum exegerat annum, modicæ ftaturæ, pinguis, calido, humidoque temperamento præditus, ideft fanguineo, crapulis, venerique indulgens, die feptimâ Martii, anno a Deiparæ femper Virginis Partu 1700. permoleftam quandam capitis gravitatem horâ circiter a prandio perfentire cepit, quam febris vehementer ardens fine rigore infequuta eft. Viribus iccirco fractis, decumbit. Conqueritur de fiti ardentiffimâ, ac impenfo vifcerum ardore. Anxius fit, naufeabundus. Pulfum valdè inæqualem habet, maximèque concitatum; altum tamen, & vegetum. Intumefcunt hypochon-

Quicquid, fynocho putridæ medendo, præftare confuevimus, hiftoriâ declaramus.

chondria. Urinæ ſunt rubicundæ. Lingua, & fauces aridæ. Adſtricta eſt alvus. Quamobrem, clyſtere ſimplici ſub veſperam immiſſo, ut aquam nucerianam frigidam largè potaret cum ſyrupo violat. violac. præſcripſimus, item et ut incœnatus obdormiret. Non multùm requievit. Quinimmo et varia per noctem ingrata paſſus inſòmnia, longè pejùs ſe habere affirmabat. Nihilominus tum ex aſpectu, tum ex decubitu, tum ex reliquis, quæ non perperam ſe habebant, malignitatis indicia nondum extabant. Quapropter febrem ſynochum potiùs fermentativam, ac putridam, quàm malignam futuram eatenus judicavimus. Hinc frictionibus præviis per cutim univerſam, ac ſanguine per venam ex brachio ad libram circiter educto, emulſionem hanc A refrigerantem, & aliquantulum ſoporiferam, horâ circiter a phlebotomiâ ſumendam, eamque horis medicis quotidiè repetendam, frigidam autem ſemper, præcepimus. Victu interim tenui, humidoque ex panatellâ in jure gallinaceo cum hordei cremore cocta bis in die horis congruis reficiebatur. Die a morbo quartâ, hac methodo in rebus omnino ſervatâ, ad horas circiter quatuor, aut quinque placidè tandem requievit. Plurimùm inſudavit. Maximam urinæ copiam excrevit, ac multò meliùs ſe habuit. Poſtridiè, loco emulſionis præfatæ, aquam frigidam nucerianam, cum corticibus citri alteratam perbibit ſemper ad ſeptimam uſque diem, donec ſcilicet, rebus omnino pacatis, a febre immunis penitus evaſit.

A ℞. *Sem. melon. unc. ij., pap. alb. dragm. ij., aq. lactuc; papav. ana lib. ſs., ſacch. depurat. q. ſ. ad g. ſ. m. f. emul. S. A. Sum. ut m.*

CA-

CAPUT V.

De Causo.

SYnochus putrida, quum in hac calor plurimùm ita intenditur, ut ardentissimus, & vehementissimus vel tactu percipiatur, propriè dicitur *Causus*, ideft *incendens*. Quamobrem paucis causus describendus videtur, *synochum esse putridam, in quâ calor vel extrinsecùs ita intenditur, ut vel tactu acerrimus, ac vehementissimus deprehendatur*. Definitio Causi.

Hinc dignoscitur imprimis a calore febrili, qui in gradu percipitur intensissimo; quem, utplurimùm, comitantur sitis ardentissima, ac propemodum inexplebilis, vox clamosa, capitis dolor plerùmque pungens, infestissimæ temporum pulsationes, & reliqua; quæ de Synocho putridâ in capite præcedenti recensuimus, quæque intensissimum sanguinis fervorem præternaturalem commonstrare solent. Diagnosis.

Fermentum febrile, quod causum excitare valet, ex dictis inferre debemus, situm esse in humore quodam pravo massæ sanguinis immixto, qui sive destruat, sive præcipitet, sive alio quovis pacto dirimat, ac separet omnino a reliquo sanguine partem eam sulphuream, oleaceam, & balsaminam; quæ, utì monuimus, ad maximam sedandam sanguinis fermentationem in eodem sanguine cumulatur; quæ tamen quandoque absumitur, & dissipatur quoque pluribus aliis ex causis, nimirum, aut ob nimiam insolationem, aut ob nimiam membrorum in motu exercitationem, aut ob vigilias, lucubrationesque diu protractas, animique affectus vehementiores &c., in quibus maximum fieri solet minimorum dispendium. Fieri item potest, ut in eâdem sanguinis Causa.

massâ,

massâ ob varios in rebus errores, augeantur partes sanguinis heterogeneæ, quas, ratione fermentationis, *alkalicas*, atque *acidas* appellavimus. Verùm enim verò, ne in Theoriâ exponenda frustra tempus diutiùs hìc, quàm par est, teramus, quo pacto ex pravâ sanguinis fermentatione calor in causo intendatur, ex iis, quæ alibi de fermentatione exposuimus, commodè elicere quisque poterit.

Prognosis. Causus, quum reverà de genere sit acutorum, neutiquam sine periculo habendus; quinimmo et dubii semper eventus esse debet. *Acutorum morborum non omnino sunt certæ prædictiones, aut salutis, aut mortis* ex Hipp. (*a*). Ad diem utplurimùm, perducitur decimamquartam, in quâ, aut solvitur, aut febricitantem interficit. In senibus, ex Galeni sententiâ, ferè semper lethalis. Pulsus in causo quò imbecillior, & a statu naturali recedit magis, eò majori semper cum periculo. Causus, utì practicè observavimus, signis coctionis ex urinâ apparentibus, rigore die critico superveniente, aut per sudorem, aut per urinam, aut per alvum, aut per alias excretiones, humoribus peccantibus ejectis, plerùmque solvitur. Hinc rigor in talibus circumstantiis prænuncium esse solet criticum.

Curatio. Victus vel in causo tenuis esse debet, humectans, refrigerans, facilisque coctionis. Potiones iis non absimiles, quas pro curatione synochi, tum simplicis, tum fermentativæ paulò priùs descripsimus, & ad causum curandum eligendæ sunt. Intestinis a sordibus, clysteris ope injecti, ablutis, sanguis iterum, atque iterum si opus fuerit, symptomatibus sedandis, educendus est. In præscribendis evacuantibus, fortioribus maximè, cautè incedendum; hæc quippe, nisi

(a) *Aph.* 18. *sect.* 1.

nisi lenissima sint, membranas interiores irritando, & serum lymphaticum ex tubulis exprimendo, febrem exasperant; quæ contra extinguitur potiùs, sive saltem per haustus delinitur uberrimos, utì ante jam diximus, & utì imposterum dicturi sumus.

Historia IV.

Quicquid, Causo medendo præstare consuevimus, historiâ declaramus.

DArius Vir nobilis, corpore venusto, nonnihil tamen gracili, temperamento calido,& sicco, idest bilioso præditus, annum ætatis nondum compleverat trigesimum septimum, tum quum post varios, in victu præsertim, errores,Mense Octobri,dum animi relaxandi gratiâ ruri commorabatur, febri ardentissimâ correptus fuit. Is propterea,opem medicam quærens,nobis sese curandum objecit. Febris principio lenis, & vix sensilis percipitur. Mox intensissimus ex eâ, ac penè intolerabilis succenditur calor. Calori associatur dolor capitis acerrimus, ac pulsans. Plurimùm sitit. Aridam linguam, & fauces habet. Vocem clangosam edit. Dies est morbi quarta, & symptomata ingravescunt. Pulsum explorantes, arteriam in carpo plurimùm semper irritatam, ejusque pulsationes admodum varias, validè licèt sese explicantes, adinvenimus. Urinæ erant rubicundæ, tenues, ac perexiguæ. Diu noctuque pervigil, irrequietus conquerebatur. Liberè tamen respirabat, ac optimè decumbebat. Oculi, ac facies universa benè se habebant. Quamobrem causum febrem fore judicantes, vivendi normâ, ut supra, ratione victus ferè præscriptâ, alvum, ritè quamvis responderet, ad sordes nihilominus intestinorum magis adhuc expurgandas, clystere simplici concitandam judicavimus. Id profectò, ut sanguinis missio præmeditata longè tutiùs fieri posset; quam diluculo postridie, die videlicet quintâ, ex

ex venis hæmorrhoidalibus ad libram circiter præſcripſimus. Sanguine, venis jam adapertis, extillante, capitis dolor longè mitior ſubinde ſemper evaſit; ac ſiti per hauſtus frequentes aquæ nucerianæ expletâ, blando poſtmodum ſopore captus ad horas fere quatuor placidiſſimè quievit; atque in omnibus dehinc meliùs ſe habere ſenſit. Die ſextâ corporis peripheriâ pluries defricatâ, ac cucurbitulis ſcarificantibus cervici, æquè ac dorſo infixis, alteram ſanguinis libram educi curavimus. Sanguis floridus licèt, ſero tamen parcè ſcatebat. Qua de re, ut quamſæpiſſimè hauriret in dies, aut aquam nucerianam, aut hordeaceam, aut juſculum inſulſum cum ſeminibus citri alteratum, præcepimus. Clyſteres quoque quotidiè reiterandos, eòuſque donec die tandem nonâ, procul ab omni criſi manifeſtâ, unà cum febre reliqua omnia ceſſaverint ſymptomata, judicavimus.

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quid ſit propriè morborum ſolutio critica.

Affectiones univerſæ, quæ nos præter naturam invadunt, contumaciſſimæ quamvis, ac diuturnæ, tandem aliquando ceſſent neceſſe eſt; ſive ad interitum, ſive ad ſalutem corporis humani viventis ſeſe ſolventes; ſive, utì non ſemel contigiſſe in Praxi obſervavimus, in alias affectiones ſeſe commutantes. Id dupliciter fieri ſolet, ſenſim videlicet, & paulatim; ſubitò & repentè. Quum ſenſim ad interitum ſolvitur affectio, tum ſolutio vocatur *Maraſmus*. Quum ſenſim ad ſalutem, tum propriè dicitur *ſolutio*, ſive *lyſis*. Quum ſubitò, & repentè in utroque caſu vocatur *criſis*. Hinc vulgatum illud penes Clinicos: *ſolvuntur morbi, aut per criſin, aut per lyſin*. Criſis tamen paſſim uſurpatur pro ſolutione ægritudinis ſubitâ, ac repentinâ ad ſalutem

tem corporis humani vitam habentis. Quum affectio, quin vel interimat, vel planè solvatur, in aliam affectionem transit, tum dicitur *Metaptosis*, idest permutatio, fitque aut per *Diadochen*, aut per *Metastasin*. Per diadochen, tum quum materia peccans ad partem ignobiliorem defertur; hoceft quum supernè deorsum, intus foras, & procul a morbi foco, non sine aliquo saltem ægrotantis commodo excluditur. Per metastasin fit e conversò, quum nimirum materia peccans ex partibus ignobilioribus moveatur ad partes nobiliores, idque ferè semper in perniciem ægrotantis.

Declarântur voces nonnullæ, quibus varios crisis gradus explicare consueverunt Veteres.

Solutiones hasce, motu quodam, neque perperam omnino, declarare consueverunt Majores, ad lancem physices expendentes, *movens*, *mobile*, *terminum a quo*, *ad quem*, *medium*, *per quod fit motus*. Movens in eorum sententiâ est ipsa natura, quæ materiam concoquit peccantem, atque humores pravos secernit, ut eos inde die extrudat critico. Mobile est materia peccans. Terminus a quo est morbi augmentum, tum quippe reverà incipit crisis. Incipit videlicet motus is, quo natura, sive potiùs structura organorum corporis humani vitam habentis, per humores, quibus adjuvantibus agunt organa, excutitur, ut ita dicam, & conatur, ut quicquid sibi non congruum, atque infensum est, egerat, excludatque. Terminus ad quem est sanitas in crisi perfectâ, interitus in crisi malâ, sive lethali, vel status ei proximus, quum in aliam transit morbi speciem. Veluti medium habetur id spatii, sive intervalli, quod ab invasione morbi ad solutionem usque intercipitur.

Triplex motus genus, ratione crisis, penes Priscos.

Præterea motus præfatus partim dicitur *localis*, partim *alterativus*, partim *naturalis*, partim *violentus*. Localis dicitur ratione *materiæ peccantis*, quæ sanè movetur, atque exagitatur, ut in crisi perfectâ, sive salutari per vias consuetas excernatur. Alterativus dicitur

ratione animalis, ſive *ſubjecti ægrotantis*, fieri quod minimè poteſt, quominus quodammodo alteretur, ut vel per criſin ſalutarem convaleſcat, vel per lethalem intereat. Naturalis dicitur reſpectu naturæ, quæ, tanquam proprium inſtrumentum, criſin movet primò, ut ajunt, & *per ſe*. Violentus dicitur, habitâ ratione perturbationis, celeritatis, & certaminis, quod in organis corporis humani ægrotantis fieri debet, quum criſis intus intentatur, atque abſolvitur.

ANIMADVERSIONES SEMIOTICÆ.

Conditiones, quæ ad optimã criſin requiruntur.

UT perfecta ſit criſis, unà et ſalutaris, ſex exigit conditiones. Primò, ut optimis indicetur ſignis. Secundò, ut ſit manifeſta. Tertiò, ut die fiat critico. Quartò, ut fida ſit. Quintò, ut tuta. Sextò. ut conveniens tandem ſit, tum morbo, tum naturæ, ſive conſtitutioni ægrotantis. Perfectam, & ſalutarem indicant criſin dies *judex*, item et ſigna coctionis optima; coctiones enim penes Hippocratem *celeritatem judicii, criſis nimirum, & morbi ſecuritatem oſtendunt. Cruda verò, & non concocta, aut in malos abſceſſus converſa, dolores, aut diuturnitatem, aut mortem, aut recidivam afferre ſolent.* Denotant quippe maximam naturæ irritationem, ejuſque leges, & conſuetudines, ſive funditus everſas, ſive prætermodum labefactatas. Criſin manifeſtam declarant evacuationes inſignes, quæ ſive excernendo, ſive per abſceſſus fiunt. An autem die contingat critico, id ex iis educendum, quæ de diebus criticis deinceps dicturi ſumus.

Fidam facit criſin, ſi nullas poſt ſe morbus relinquat reliquias, ex quibus ſuperſit, niſi recidivæ periculum, aliqua ſaltem ſuſpicio.

Tuta eſt criſis, ſi erumpat cum lenibus ſympto-

ma-

matibus, necnon etiam cum ægrotantis tolerantiâ.

Conveniens denique, si fiat per loca conferentia tum ægrotanti, tum naturæ ægritudinis, & constitutioni. Atque adeo conveniens existimanda erit crisis in Juvene febre ex.gr. correpto ardente, si fiat per narium hæmorrhagiam. Inconveniens si in Sene per alvi fluxum. In morbo chronico confert, utplurimùm, per abscessum. In acuto per excretionem.

Crisis imperfecta, altera tendit in meliùs, altera in deteriùs. Illa, morbum quamvis non planè solvat, efficit tamen, ut affectionem, qua laborat, alacriùs perferat æger. Hæc affectionem magis, magisque in dies exasperat.

Signa crisis distribuuntur in antecedentia, comitantia, & subsequentia.

Reliquùm signa crisis alia sunt *antecedentia*, alia *comitantia*, alia *subsequentia*. Rursus antecedentia, tempus alia prænunciant, alia speciem crisis. Tempus crisis innotescit ex signis, tum coctionis materiæ morbificæ, tum ipsius morbi. Speciem crisis declarant ea loca, quà crisis adventura est, an per vomitum, an per urinam, an per sudorem &c.

Explicantur signa præfata.

Signa comitantia ea sunt, quæ unà cum crisi apparent, atque adeo crisin declarant, an bona sit nec ne, an perfecta, an imperfecta &c. hæc desumuntur præsertim ab ipsamet naturâ crisis, necnon et a causis crisin promoventibus. Iccirco crisis, quæ fit per excretionem, judicari debet salutaris, & bona, si commodè fiat. Et ut commodè fiat, quatuor maximè requiruntur. *Qualitas laudabilis*. *Quantitas moderata*. *Tempus opportunum*. *Excernendi modus naturæ familiaris*. Humor excernendus laudabilis dicitur, si peccans, & coctus per crisin evacuetur. Moderatæ dicitur quantitatis, si excernatur ad justam mensuram; exiguus enim suspectus esse debet; uberior quàm par est, enervat, atque adeo periculo non vacat. Tempore fit oppor-

portuno, si diebus erumpat criticis. Familiaris, si per loca conferentia, & naturæ commoda. Conditiones tamen præfatæ attendendæ sunt potissimùm in crisi; quæ per excretionem fit. In eâ quippe, quæ per abscessum erumpit, tria maximè perpendenda sunt, ut censeatur legitima. *Quò*. *Unde*. *Propterquod*.

Quicquid requiritur, ut decubitus in morbis sit salutaris.

Quò denotat partem, in quam descendit materia peccans, quæ inferior sit, oportet, ignobilior, remota a parte affectâ, & capax, ut affluxum excipiat totius materiæ peccantis, quæ secus retrocedendo symptomata quoque pejora inferre posset. *Unde* partem denotat, ex quâ descendit humor peccans; decubitus enim fieri debet apud Practicos secundùm directionem, idest si partem sinistram afficit morbus, minimè per dexteram decubitus, quinimmo et per eandem sinistram optimus existimari solet in abscessu. *Propter quod* declarat causam, quæ abscessum inducit: num a naturâ digestis, coctisque humoribus peccantibus: num a materiâ urgente, & naturâ divexante, humoribus adhuc crudis, & nondum subactis; quo in casu parvus est abscessus, neque sufficiens, ut affectionem solvat.

Signa crisis consequentia desumuntur ab *actionibus*, *excrementis*, & *qualitatibus* corporis affecti, quæ ad statum naturalem quò magis accedunt, eò spem crisis optimæ meliorem faciunt; & viceversà &c.

ALIÆ ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Denominantur dies, respectu morbi.

Dies critici, ii nimirum, in quibus, utplurimùm; crisis erumpere solet, alii dicuntur verè, & perfectè critici. Alii indices, aut judices. Alii intercidentes, necnon et intercalares. Dies perfectè critici sunt ii, in quibus crises habere solent notas omnes crisis perfectæ, qui propterea vocantur *principes*, & *radicales*. Hu-

Hujusmodi, penes Practicos, sunt dies septimus a decubitu, decimusquartus, vigesimus, vigesimusseptimus, trigesimusquartus, quadragesimus.

Indices vocantur qui crisin indicant futuram, idest quartus, undecimus, decimusseptimus, item et vigesimus quartus. Indicant verò per signa præsertim, quæ apparent coctionis in urinâ. Si apparent ex.gr. die quarto, crisin præcinunt futuram ad diem septimum; si undecimo, ad decimumquartum, & sic deinceps.

Appellantur intercidentes tertius, quintus, nonus, decimustertius, decimusnonus, & penes nonnullos item et decimusquintus, & decimusoctavus, in quibus nonnisi per accidens, & præter naturam, inquit Sennertus, vel ob paroxysmi vehementiam, vel ob caussam externam, natura concitata expulsionem intentat intempestivam.

Præter dies hosce, alii dicuntur *non critici*, sive *vacui*, in quibus nulla, aut admodum rarò, sive imperfecta, & mala plerùmque accidit crisis. Sunt sextus, octavus, decimus, decimussecundus, decimussextus, decimusoctavus, quibus addunt nonnulli vigesimumsecundum, vigesimumtertium, vigesimumquintum, vigesimumnonum, trigesimum, trigesimumsecundum, trigesimumtertium, trigesimumquintum, trigesimumoctavum, trigesimumnonum, qui et *medicinales* passim nuncupantur; eoquòd tutiùs diebus hisce præscribere possit Medicus purgantia, phlebotomiam &c. Post diem quadragesimum languent, ut ita dicam, morbi, & lentâ coctione, atque abscessu potiùs, quàm crisi solvuntur, experientiâ teste.

Dierum criticorum enumeratio, ut æqua sit, fieri debet, ad nostram sententiam, ab eâ horâ, ex quâ manifestam percipit æger actionum suarum læsionem. Varia de causis dierum criticorum fabulari consueverunt Scripto-

ptores, earum qualitates, & virtutes vario Lunæ influxui præ cæteris adſcribentes; quæ tamen, quum propemodum commentitia videantur, fuſiùs impræſentiarum recenſere non arridet.

CAPUT VI.

De Febribus Malignis.

Quare febres malignæ vocentur.

INter febres acutas, peracutas quoque, ac mortiferas eas connumeramus, quæ a pravitate ſymptomatum *malignæ* nuncupantur. In iis quippe, eoquòd ob labem quandam penè veneficam, quæ humores univerſos inficit, ſanguinis compages longè magis, quàm in cæteris febribus a ſtatu naturali recedat, funditus, ut ita dicam, evertitur œconomia animalis. Duplici ex cauſâ ab eo, quem, ut ſanitas in corpore humano vivente conſervetur, habere debet, ſtatu præter naturam recedere ſolet, penes Recentiores, ſanguinis compages; nimirum vel quia denſa nimis ſit, ſive nimis concreta ob acidum coagulans, exuberans, quod partem ſanguinis ſulphuream denſat; vel quia ſit nimis laxa, ſive ſoluta nimis, alkali exuberante, quod eam ſolvit. Quapropter febres in genere malignæ bifariam diſtinguuntur in *verè malignas*, atque in *malignas peſtilentes*, ſive *peſtiferas*. Propriè maligna dicitur febris, quum in eâ ſanguinis compages, eoquòd præter naturam plurimùm concreſcat, a ſtatu naturali longè recedit. Peſtilens autem, & maligna nuncupatur febris, quum in eâ ſanguinis compages, eoquòd præter naturam plurimùm ſoluta fluorem nimium habeat, a ſtatu naturali longè recedit. Utraque dicitur maligna, quia utraque occultè, utplurimùm, & quaſi per inſidias agit, & clanculùm febricitantem non ſemel interficit. De febre pro-

propriè malignâ in hoc capite acturi, de malignâ pestiferâ in sequenti agendum ducimus.

Febris verè maligna, quæ quoque maligna dicitur ex coagulo, *est febris quædam acuta perniciosissima, quinimmo et quandoque peracuta, in quâ symptomata maximam indicant humorum pravitatem, ac universam œconomiæ animalis eversionem ob coagulum quoddam sanguinis virulentum.* Definitio febris veræ malignæ.

Indicia malignitatis, tum ex coagulo, tum ex nimiâ solutione, sunt in febribus admodum ambigua; pleraque enim communia esse solent, & passim in utrisque indiscriminatim obversantur. Hujusmodi sunt virium lapsus repentinus, horripilatio frequens, necnon et animi dejectio. Quocirca perterritus, utplurimùm, nimiùm timet æger, anxius est, inquietus, delirat, conqueritur, ac palpitat, lipothymiæ, ac syncopæ frequenter obnoxius. Hæc omnia principio febris, & tum quum maximè pulsui, atque urinæ sanorum similibus associentur, intestinam febribus inesse denotant malignitatem. Quandoque adest nausea, vomitus, cardialgia, atrocissima cephalalgia, aurium tinnitus, item et surditas, vertigo, pectoris angustiæ, viscerum ardor urens, convulsiones, & reliqua. Alii præterea malignè febricitantes sunt somniculosi, quinimmo et lethargo quandoque consopiti arctissimè dormiunt. Alii contra pervigilant insomnes. Oculos præseferunt alii obscuros, feroces alii. Lacrymas alii fundunt involuntarias. In sudores alii resolvuntur frigidos. In nonnullis defluit, vel saltem extillat ex naribus sanguis &c. Verùm, ut paucis omnia complectar, ea universa symptomata in febribus malignis non raró exoriuntur, quæ facultates universas corporis humani viventis commotas, irritatas, atque labefactatas esse commonstrare valent. Pulsus præterea, item et urina, nisi sanorum similia sint, Diagnosis.

maximam habent varietatem. Lingua, & fauces arefieri, & nigricare persæpè solent, unde sitis intensissima &c. Insuper extrinsecùs in pluribus erumpunt exanthemata, petechiæ, aliæque maculæ livescentes, necnon etiam tumores, qui ad inguina præsertim, sub axillis, & secus aures in abscessus erumpunt; quæ omnia humores ob labem veneficam contractam in glandulis stagnare, concrescere, ac putrescere satis superque declarant.

Causa. Febris verè maligna, ut per ipsam patet definitionem, provenit a fermento quodam venefico, quod sanguini in vasis sanguiferis immixtum, uno eodemque tempore, quo pravam sanguinis fermentationem inducit, sanguinis massam intimè ita inficit, ut eam præter naturam coagulet.

Prognosis. Lethales utplurimùm sunt febres hujusmodi, fraudolentes, & subdolæ. Quinimmo et quò in verè malignis atrociora apparuerint symptomata, eò meliorem, utì observationes docent quotidianæ, spem salutis inde desumere debemus; eoquòd longè minùs tum habere soleant periculi. Nil mirum itaque, si Ægrotum, Adstantes, & Medicum quamsæpissimè fallant. Verumtamen si floccos aut carpat Æger, si plicas explicet linteorum, si quid non congruè sibi arripiat, id funestum fore semper observavimus. Malum quoque si negligenter decumbit, & indecorè nudetur. Pulsus valdè explicatus, validus, constans, atque æqualis in febris processu melior est, quàm si parvus evadat, debilis, profundus, atque inæqualis. Delirium morbi principio, quod, sopore præsertim superveniente, non sedetur, pessimum haberi debet, item oblivio, motusque convulsivi, inter quos præ cæteris singultus, tremores, & spasmus. Vigiliæ contumaces, quas utplurimùm lethargus insequitur, perniciem

ciem inferunt. Si oculi ferocitatem præseferant, si præter voluntatem, procul ab occasione manifestâ, lacrymentur, si nullo apparente extrinsecùs ophtalmiæ indicio, oculorum bulbi doleant, rarò evadunt Ægri, item et si rubeant intensè, atque in sopore nisi adamussim committantur palpebræ, ita ut inde albi quid foris appareat. Linguæ tremores, æquè ac manuum damnat Hippocrates. Ex naribus stillæ sanguinis, cardialgia, & maxima apopsia mortem proximam interdum præcinunt. Petechiæ, aliæque cutis maculæ, luridæ quamvis, ac livescentes, quæ die nonâ, ac decimâ prodeunt, non malæ semper existimandæ. Contra si statim ab initio morbi fœdæ, atque obscuræ, quæ minimàm habeant extensionem, aut uberrimæ effundantur cum anxietate, & respiratione difficili, & præsertim si retrocedant, lethale est. Si tussis accedat, si cutis vel leniter madefiat, & quodammodo irroretur, sicut et in aliis, ita et in febribus quibuscumque malignis ex coagulo serum inesse sanguini, & naturales per glandulas fieri excretiones indicat; ideoque bonum.

In febribus verè malignis, malignis nimirum ex coagulo, curandis, sanguis valdè concretus blandè solvendus, & virus coagulans, aut corrigendum, aut destruendum, aut foras eiciendum est. In diætâ aer sit temperatus, ventilatus, & purus, qui alteretur quoque, si opus fuerit, suffitibus variis odoratis, uti ex ligno juniparino, aloetico, ex foliis rorismarini, aliisque idoneis accensis combustibilibus, in quibus ea pinguedo, quâ scatent volatili, balsaminâque, per ignem extenuata, atque, ut ita dicam, exaltata, longè, latèque per aerem effunditur, spiracula subit cutis, necnon etiam pulmones inspirata, atque adeò sanguini sese funditus immixta, labem veneficam contractam discutit, extenuat, emendatque. Ambiens Curatio.

frigidum nocet ſemper. Victus, principio ſaltem, tenuis ſit, optimi ſucci, & qui facilè digeratur. Proceſſu tamen ad vires pridem enervatas reficiendas plenior convenit. Potiones calidas potiùs quàm frigidas hiſce in caſibus profuiſſe obſervavimus. Evacuantia, item et emetica, in febribus paſſim, licèt malignis, atque indiſcriminatim uſurpentur, admodum tamen ſuſpecta pluribus de cauſis eſſe debent, tum ob maximam organorum ex labe contractâ irritationem, tum ob virium defectum, quibus purgationes, & præſertim cathar ticæ fortiores, plurimùm adverſantur. Tutiores longè ſunt clyſteres, quorum ope alvo, & bis in die priùs ablutâ, conferunt potiones alexipharmacæ ex aquis deſtillatis; & decoctionibus florum ex. gr. borraginis, foleorum ſonchi, card. benedict., rutæ caprar., cichorei, radicis ſcorzoneræ, contrayervæ &c. Commendantur item pulveres abſorbentes, atque alkalici, utì ſunt oculorum cancrorum, matrisperlarum præparat., margaritar., cor. cer., & præcipuè philoſophici, ſive uſti &c. quæ diaphoreſin, & diureſin placidè movent, quæque, niſi juvent, nocere ſaltem nequicquam poſſunt. Si adſint convulſiones, dolores interni, cardialgia, deliquia, vigiliæ contumaces &c., apprimè conducunt anodyna, theriacalia, cordialia &c., quæ utpote vim habeant alexipharmacam, ſive directè, ſive non directè ſanguinem ſolvunt, irritationes ſiſtunt, & vel ſudorem, vel urinam placidè movent. Sanguinis miſſionem, neque paſſim cum Riverio admittendam, neque cum aliis indiſcriminatim planè damnandam cenſeo. Ubi ſanguis redundat, & imprimis ob diù retentam ſanguinis excretionem per loca conſueta, in pueris nimirum ex naribus, in adultis ex hæmorrhoidibus, in fœminis poſt pubertatem ex fluxibus menſtrualibus, non video cur iis vel in febre malignâ ex coagulo non emittendus ſit ſanguis,
per

per ea præſertim loca, ex quibus egeri conſueverat, ſive ſaltem per partes proximas. At enim verò, ſi phlebotomia ſuſpecta nobis unquam fuerit, certum eſt, eam hiſce in caſibus præ cæteris debuiſſe; nam quemadmodum febres hujuſmodi per phlebotomiam ex locis conſuetis, idoneis nimirum, opportunè conſtitutam, curatas interdum obſervavimus, ita et necem quamſæpiſſimè attuliſſe intempeſtivè præſcriptam evidentiſſimè cognovimus. Tutiùs itaque ſemper erit in labe malignâ, niſi urgeat neceſſitas, eam omittere. Non idem tamen de veſicantibus, & ſinapiſmatibus judicandum; quæ profectò, & tum, quum maximè extet ex coagulo malignitas, virus coagulans reſolvunt, diſcutiunt, deſtruunt, ac foras, aut ſudore, aut urinâ eximunt. Defricationes interim, inunctiones, fotus, cucurbitulæ, & præſertim ventoſæ, haud negligendæ; quinimmo et, ubi opus fuerit, eas in cute ſcarificare conducit.

Hiſtoria V.

Quicquid, febri malignæ medendo, præſtare conſuevimus, hiſtoriâ declaramus.

CRemes ruſticus annorum quadragintaquinque circiter, temperamenti calidi ad humidum vergentis, validus, ac pinguis, benè pridem in omnibus ſe habens, Menſe Septembri varia, in rebus ruſticis ſeſe villicando exercens, ſubdio paſſus incommoda, repentè febricitat. Ad proximum in Urbe Noſocomium delatus, viribus omnino fractis, conqueritur de præcordiorum anguſtiâ, de acri viſcerum ardore, ac de aurium tinnitu. Pulſus valdè inæqualiter explicatur. Frequens eſt, unà et imbecillis. Urina ſanorum eſt ſimilis, & quamvis non ſitiat, linguam, & fauces aridas habet. Febris identidem in dies, nullâ periodi ſervatâ lege, animi tamen prævio ſemper deliquio, necnon et ſudore, ſive potiùs madore tenui quodam frigido, exacerba-

batur. Quibus maturè confideratis, malignam fore febrem ex coagulo fufpicabar, eòque magis, quia calor urens, vifcera quamvis intus affligeret, foris nufquam effundebatur. Quinimmo frigidæ potiùs vel ad tactum partes extremæ utplurimùm deprehendebantur. Victu craffiori, ac pleno, fructibus cujufque generis, meroque plurimo antequam ægrotaffet, vefci folitus erat æger. Alvus triduò fœces non excreverat. Quamobrem, clyftere injecto, fœcibus antea egeftis, ut cutis leniter univerfa cum oleo Matthioli quotidiè defricaretur præcepimus. Clyfter injectus erat hujufmodi A, quem bis in die horis congruis ad diem ufque feptimam reiterandum duximus. Præfcripfimus præterea potionem hanc B horis Medicis in decoctione alexipharmacâ, ut infra, hauriendam. Victus fecimus ut effet tenuis, humidus infuper, & medicatus. Fercula quippe parabantur foncho, cichoreo, borragine in jure gallinaceo modicè falito, ac per infufionem rafuræ cor. cer., ac matrisperlar. alterato elixatis, necnon etiam cum ovi vitello recentis quaffato immixtis. Pro potu aqua deftillata modò fonchi, modò fcorzoneræ, modò carduibenedicti alternatim ad libitum propinabatur. Sub finem diei quartæ delirare cepit, fomniculofus effe, ac prætermodum naufeabundus. Quapropter, rebus jam præfcriptis haud omiffis, ad veficantia, & finapifmata confugimus, partibus infernis applicanda; quibus virus illud malignum, quod organa nobiliora labefacere jam ceperat, aut evinceretur, aut faltem averteretur. In quem finem leni emetico ex hydrelæo cum oxymelite fimplici, ut vomitum blandè cieret, tepenti non ita pridem propinato, purgans quoque, quod validiùs ageret ita paratum C inde fumendum duximus. Quum primùm alvum concitaverit purgans, ut ferum caprillum depuratum, ac cum eodem melle hifpano non in-

fua-

suaviter mellitum ad libras duas circiter superbiberet, necnon et aquam nunc simplicem purissimam, nunc corticibus citri alteratam per vices abundè biberet, potestatem fecimus; quam per urinam, æquè ac per alvum unà cum fœcibus, sine dolore ubertim excrevit. Postridie, die nimirum a decubitu septimâ, sub noctem obdormivit, plurimùm insudavit, atque experrectus, longè meliùs se sensit. Sudor per noctes singulas ad diem decimamquartam uberrimè prosequitur, donec tandem, labe virulentâ penitus deletâ, febris maligna ex coagulo, ut opinor, quâ per dies ferè quindecim, & ultra, non sine maximo vitæ discrimine, Cremes rusticus laboraverat, soluta est.

A ℞. *Mell. com. unc. iv., sal. com. unc. ʃs, aq. hord. q. s. m. p. clys. ut m.*

B ℞. *Confect. hyacint., alkerm. ana dragm. j., aq. theriac., tot. cit., flor., & fruct. acerbor. aurant. ana unc. j. m. sol. exag. & adde juscul. alterat. cum foliis sonchi, card. benedict., radicib. scorzon., & contrayer. bib. æger. ut m.*

C ℞. *Sen. orient. mund. unc. ʃs., rhab. elect. dragm. j., cinnam. opt. scrup. j., ser. Capr. rec. lib. j. m. f. lev. inf., & mac. S. A. Colet., & adde mell. hisp. opt. unc. iij. cap. ut m.*

ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

In Febribus malignis non semper damnanda est sanguinis missio.

IN febribus, tum ex coagulo, tum ex solutione malignis, indiscriminatim, hìc præsertim ROMÆ, veluti plena periculi, utpote quæ febricitantem confestim penè jugulet, incusari solet sanguinis missio, tum potissimùm, quum ea adsit suspicio, febrem exarsisse ob aeris pessimam quandam virulentiam, quam

quam in Agro Romano, æſtate, aut autumno vel leniter conſopitus quis clam contraxerit. Enim verò ſanguinem mittere hoc in caſu perniciosum ferè ſemper extitiſſe unanimi penè omnium firmata conſenſu, vetus item et recens opinio fuit, quam magis adhuc ſemper in dies, neque injuriâ, convaluiſſe accepimus. Et quamvis planè obſcurum ſit, cur præ cæteris in febribus ejuſmodi improſperè quidem hactenus ceſſerit id chirurgiæ præſidium, rem tamen ita prorſus ſe habuiſſe longævus per diutinam experientiam nos item ſatis ſuperque edocuit uſus. Nihilominus ſi aut viſcerum inflammationis, ſive præſentis, ſive imminentis, aut ex redundante ſanguine, proximæ ſuffocationis, aut hæmorrhagiæ non ita facilè compeſcendæ non dubia adſint indicia, in plethoricis præcipuè ſanguinem, aut cucurbitulis in cute ſcarificantibus, aut hirudinibus ex partibus infernis elicere, rationi conſonum ducimus; quod fermè in Regiis præſertim Hiſpanorum Urbis Noſocomiis non ſemel cum ſucceſſu tentavimus.

Sanguis non indiſcriminatim ex qualibet parte in febribus malignis emittendus.

Quare autem in affectionibus ſaltem quibuſdam ex unâ potiùs, quàm ex alterâ humani corporis parte venas ſolvere conducat, reperto ſanguinis circulo etiamſi penitus ignoremus, negare tamen haud poſſumus, obſervationibus practicis edocti, ſanguinem ut ex vaſis quibuſdam peculiaribus peropportunè eductum quamſæpiſſimè profuiſſe, ita quoque noxam plurimam intuliſſe, ubi, aliis tubulis ſectis, eandem ſanguinis quantitatem in iiſdem propemodum ægritudinibus ex oppoſitâ regione detraximus.

ALIÆ

ALIÆ ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

IN medendi methodo, non ſecus ac in reliquis, nonmodò Medicinæ, verùm etiam univerſæ Philoſophiæ partibus, ſimplicitatem quantumvis ſemper amavimus, non eſt tamen, quòd inter medica præſidia confectiones hyacinthinas, alkermes, theriacam, mithridatum, & reliqua hujuſmodi non magni faciamus; quæ compoſita quamvis, vi ſanè plurimâ in uſu medico pollere, tum in gravioribus ſedandis ſymptomatibus, tum etiam in morbis omnino quandoque profligandis, abundè comperimus. Fieri nihilominus poſſet, non inficior, ut præfata præſidia, vel ad longè majorem ſimplicitatem redacta, niſi meliores, eoſdem ſaltem propemodum effectus præſtarent. Attamen hiſce in rebus ad Praxin medicam ſpectantibus, quas ad multos jam ante actos annos nobis indeſinenter uſus, & conſuetudo probavit, vetuſtatem venerari potiùs, quam vanam quandam Recentiorum innovandi libidinem conſectari, Tyronibus præcipuè ſuadebamus olim, ſuademus modò, & ſuadebimus ſemper.

Theriac., mithrid., confect. hyac., alker., & reliqua, quamvis medicamenta composita, non ſemper damnanda.

ALIÆ ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

SUdoribus ciendis, eliciendiſque, aquam ſimplicem communem, aut frigidam, aut tepentem abundè hauſtam, cute universâ priùs, oleo præſertim inunctâ, & defricatâ, atque cubiculo modicè tepefacto, præ cæteris omnibus diaphoreticis, vel præ lapidibus ipſis bezoar, hyſtricis &c., longè magis idoneam ſemper adinvenimus; quam propterea quoties in hunc fi-

Quomodo tutò, citò, ac blandè moveri debeat ſudor.

nem, atque in iis circumſtantiis adhibuimus, toties planè, brevì, tutò, ac blandè effectum ſuum præſtitiſſe hactenus obſervavimus. Interdum verò, quum id tamen citra ægrotantis noxam fieri datum ſit, ne vel injurià pervicaces exiſtimemus, ſinimus, vulgo indulgentes, ut præfata quoque præſidia, ſudori promovendo penes Clinicos decantata, tametſi prorſus eſſent inepta, propinentur; quo et futiles plerùmque, inaneſque quæſtiones, & ſophiſticas, verboſaſque inductiones, ac permoleſtas, penè ad nauſeam in congreſſibus medicis, refrictas digreſſiones opportunè quandoque reſecando, ut æger quantocius revaleſceret, unicè curavimus. Verumtamen ſudorem, quantumvis ſorbitionibus, ut ante jam diximus, largè hauſtis, facilè ſit movere, id tamen nequaquam morbi principio, humoribus peccantibus, crudis adhuc, indigeſtiſque tentandum, ne loco materiæ morbificæ ea lympha tenuis, oleoſa, balſamina, quæ febriles æſtus compeſcit, per diaphoreſin aut exprimatur, aut egeratur. Atque adeo, ne febris, ſudore excreto, excandeſcat. Quod quamſæpiſſimè contigiſſe ſatis ſuperque conſtat.

ALIÆ ANIMADVERSIONES THERAPEUTICÆ, AD CHIRURGIAM PRÆSERTIM SPECTANTES.

Opinio probabilis, cur ſanguis ex vaſis majoribus ſcalpello ſolutis eductus in febribus malignis, lethalis utplurimùm ſit.

SI quotidianis obſervationibus fidem adhibere velit, negare nemo poterit in febribus malignis, in Urbe ſaltem, necnon et in Regionibus finitimis, perniciem quandoque maximam intuliſſe ſanguinem ex brachio præſertim, venis majoribus ſectis, etiamſi parcè emiſſum. Quod tantâ ſaltem cum noxâ fieri nequaquam ſolet, ſi vel longè uberior is, aut hirudinibus ex vaſis hæmorrhoidalibus, aut ex cute cu-

cucurbitulis ſcarificatâ educatur. Non latet id tanquam ridiculum ratione motus ſanguinis circularis a nonnullis Anatomicis Recentioribus improbatum fuiſſe, ac penè irriſum. Experientia tamen nos, etſi non facilè credulos, ut rem ita ſe habere ingenuè fateamur, olim inducere valuit. Num autem id ſuccedat, quia ex vulnere inflicto unà cum ſanguine, qui validè erumpit, maximum quoque fiat ſpirituum, præſertim vitalium diſpendium, utì Veteres opinabantur; num quia motus ſanguinis progreſſionis per ejuſmodi phlebotomiam valdè acceleratus ex latebris viſcerum venenum quoddam abditum, & quaſi ibi conſopitum excitet, educat, fundatque; num uno, eodemque tempore, quo ſanguis cum impetu per vulnus exilire contendit, ſeſe intus in venas ab aere extrinſeco proximè circumfuſo neſcio quid virulenti ſeſe immittat, quod unà cum fermento ſanguinis maligno immixtum, atque intimè cum reliquo ſanguine longè, latèque perfuſum, maſſam univerſam magis magiſque coinquinet, ejuſque fermentationem funditus evertat, utì nos, tanquam longè probabiliùs excogitavimus olim, id aliis planè decernendum relinquimus.

ALIÆ ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

INter cætera Artis præſidia, quibus ab ineunte ætate, quum Praxis medicæ planè imperitus Theoriæ tantùm vacabam, adverſari ceperam, ea propemodum reiciens, veluti in perniciem quaſi excogitata, obverſabantur veſicantia; eo quippe tempore ſuadere mihi neutiquam potueram, quo pacto id puris, quod in parte affectâ erodentibus arte vitiatâ procreatur, ſanguinis febrilem impuritatem eluere unquam valeret. *Veſicantia, ut quandoque prodeſſe, ita et nocere poſſint.*

Y 2 Quin-

Quinimmo fluidis universis id potiùs inficiendis, fœdandisque idoneum esse intulissem, nisi variis deinceps in Urbe præsertim Nosocomiis præfectus, postquam ægrotos tractare maturiùs susceperim vesicantia profectò, sicuti pluribus in morbis nocere, ita pariter et in aliis prodesse satis superque exploratum habuissem. Cur autem modò prodesse, modò nocere potuerint, ex dictis in præcedentibus abundè constat, neque est cur in eo diutiùs immoremur. Id tantùm rursus innuere præstat, vesicantia eâ parte tenujori, ac volatiliori, quâ intus sese immittunt, sudori, atque urinæ ciendis, egerendisque mirificè conferre. Cavendum verò ne iis adhibeantur, quibus sive ob luem veneream, sive aliâ quâque de causâ, affecti sunt aut renes, aut vesica urinaria, aut organa generationis adjacentia; quæ sale cantharidum volatili exasperata inflammantur, atque adeo ægrotantem longè magis lædere solent; propter quod vesicantibus, maximâ nisi necessitate coacti, inflammatione viscerum proximè imminente, uti nequaquam debemus.

CAPUT VII.

De Febre Malignâ Pestilenti.

Definitio febris pestilentis.

FEbris, quæ maligna pestilens vocatur, pestilens ideo dicitur, quia in peste grassari utplurimùm, atque invalescere creditur. Est *febris quædam perniciosissima, acuta, & peracuta, in quâ symptomata maximam indicant humorum pravitatem, atque universam animalis œconomiæ eversionem ex solutione quâdam sanguinis virulentâ.*

Diagnosis.

Quia autem eosdem planè affectus, qui in corpore humano vivente exoriuntur a pravâ sanguinis fermen-

mentatione, quum præter naturam ob coagulum veneficum inſpiſſatus concreſcit, eoſdem, inquam, præſtare quoque valet prava ejuſdem ſanguinis fermentatio, quum præter naturam ſolutus prætermodum fluit, ſive effunditur, perquamdifficile exiſtimamus in febribus malignis dignoſcere, num ex *coagulo*, num ex *ſolutione* malignitas extet. Nihilominus id maximè adnotandum, eum, qui febre malignâ peſtilente laborat, plerùmque aut nequaquam ſitire, aut ſitim in eo non adeo intendi, eoquòd fauces, item et linguam mollem utplurimùm, atque humidam habeat ob exuberantem ſalivam, quæ ſanguinis compage ſolutâ uberrimè in glandulis ſalivalibus ſecernitur. Frequentiores præterea, & adhuc magis pernicioſæ eſſe ſolent in cute congeſtiones, quæ in febribus hujuſmodi fiunt. Hinc profectò carbunculi, exanthemata, necnon item bubones peſſimæ indolis, ſuppurationes pravæ &c., in quibus ſalia acria, atque erodentia tubulos exedendo, membranas irritando, ac nervos vellicando, non modò dolores excitant acerrimos, verùm etiam ſolidarum partium gangrænam, atque ſphacelum inducunt.

Ex definitione febris malignæ peſtilentis inferre debemus, eam excitari a fermento quodam venefico, quod ſanguini in vaſis ſanguiferis intus immixtum, uno eodemque tempore, quo pravam ſanguinis inducit fermentationem, maſſam ſanguinis intimè inficiat, & prætermodum ſolvat. Ex quo opinari non erit abs re, fermentum, quod febres verè malignas fovet, acidum eſſe virulentum coagulans; atque acre virulentum eſſe potiùs, ac ſolvens fermentum, quod malignas peſtilentes inducit. Cauſa.

Quicquid innuimus, ratione prognoſis, in capite ſuperiori de febre verè malignâ, id planè et de malignâ peſtilenti item affirmare debemus. In hac tamen an- Prognoſis.

anthraces, & bubones lethales penè ſemper. Nihilominus quò citiùs erumpunt, atque ex locis conſuetis, eò meliùs. Anthraces non procul a cordis regione, bubones in collo, vel retrò aures, funeſta utplurimùm. Febres hujuſmodi motibus convulſivis, hæmorrhagiâ exuberante, animique deliquio, ſudore præſertim frigido aut prævio, aut ſuperveniente, necem moliri ſolent. Et ſi quandoque ſolvantur, phthiſis inſequitur, hydrops, cachexia, aliæque affectiones chronicæ, ex quibus nonniſi admodum raró evadit Æger.

Curatio. Ut febris peſtilens evincatur, id pro viribus tentare debemus, ut virus ſolvens in maſſâ ſanguinis deſtruatur, ſive ſaltem eluatur. Victus igitur ei non ſit abſimilis, quem in capite præcedenti propoſuimus, ſubacidus tamen potiùs, quàm amaricans. Quamobrem ferculis multùm commendamus ſolea acetoſæ immixta, uvam, quæ vulgò dicitur *ſpina*, ſive groſſularia, paſſulas orientales recentes, hiſque ſimilia. Sorbitiones quoque parentur ſubacidæ, cum ſucco præſertim, ac corticibus citri, aut limonis, aut cum ſucco omphacino &c. Frigidæ ſanè propinentur, raró tepentes, quinimmo et quandoque gelidæ. Purgantia, æquè ac emetica noxam hiſce in caſibus attuliſſe ſemper hactenus obſervavimus. Niſi reſpondeat alvus, clyſteribus cienda. Alexipharmaca leniora, tum diuretica, tum diaphoretica, quæ fermentum peſtilens blandè egerant, eligenda. Inter hæc apprimè conducunt terracea, boloſa, cruſtacea, abſorbentia &c. Hinc conveniunt terræ ſigillatæ omnes, nuceriana, raſuræ cor. cer., eboris, matrisperlarum, mandibulæ lutii præparatæ, dentes apri in pulverem redacti, margaritæ præparatæ, cancrorum oculi, cor. cer. philoſophicum, lapis cordialis, coralli præparati, gelatina cor. cer., & ſimilia. Ut vires ſolutæ inſtaurentur, & præſertim in deliquiis, commendamus theriaca-

calia, confectiones cordiales, hyacinthinam, alkermes, five in bolos cum conservâ rosarum digestas, sive in aquis ejusdem generis solutas. Massa sanguinis, ne fluxus lethalis superveniat, opportunè minuenda. Vesicantia, item et sinapismata prorsus arcenda, utpotequæ particulis suis acribus, atque volatilibus, quas intus immittunt, sanguinis compagem magis magisque solvant, tubulos erodant, atque adeo hæmorrhagiam non rarò vel moveant, vel augeant, unà et reliqua symptomata exulcerent.

Historia VI.

Lysimachus viator annorum quinquaginta circiter, optimè constitutus, temperamenti sanguinei, calidi nempe, atque humidi, habitus plethorici, vegetus quantumvis, & sanus, pluribus tamen diù itinerando defatigatus incommodis, Mense Octobri repente febricitat. Febris principio mitem sese perhibet. Inde exasperatur. At enim verò, neque sitit, neque capite laborat, neque calor extrinsecùs intenditur. Viribus tamen planè destitutus, unà et animo dejectus valdè timet. Ferox est aspectu. Livore quodam præter naturam suffunduntur oculi. Anxius est, brevì se decessurum existimans. Pulsus, lingua, fauces, urina nullam ferè sensibuseatenus præseferebant præternaturalem immutationem. Affectionis causas interim inquirentes, Lysimachum ab ineunte ætate sanguinis copiam quotannis per fluxum hæmorrhoidalem excernere sub finem Æstatis solitum fuisse intelleximus, qui Æstate proximâ præteritâ omnino restiterat. Clystere itaque simplici injecto, venas hæmorrhoidales hirudinibus appositis illico aperiendas judicavimus ad libram circiter sanguinis. Sanguis erat floridus, tenuis, solutus,

Quicquid, febri pestilenti medendo præstare consuevimus, historiâ declaramus.

ac

ac serosus. Horâ circiter a sansanguinis missione interpositâ, potionem hanc A frigidam statim sumendam præscipsimus. Sorbitione hac sumptâ, paululùm obdormivit. Expergafactus caput sibi pergravatum sensit, ac prurientibus antea superciliis, ex naribus sanguis affatim inde stillare cepit ad libras usque circiter duas; qui nonnisi per motus universos convulsivos, restitit, quibus identidem per horam circiter miserè torquebatur. Convulsiones bis, aut ter in die quotidiè recurrebant, nullâ servatâ periodo, cum febris exacerbatione ad diem usque septimam decubitus. Erat decubitus dies secunda, & morbi tertia, ex quâ præfatæ convulsiones inceperant. Convulsiones præterea insequebantur sudores quandoque frigidi, item et syncopæ, quibus profligatus, ac viribus planè fractus procul dubio, ut opinor, decessisset, nisi per id conditum B cordiale opportunè refectus, quodammodo refocillaretur. Interea temporis ad vires conservandas, duobus ovorum vitellis recentium in jure gallinaceo modicè salito, cum hordei cremore alterato, solutis, bis in die vescebatur, item et aquam gelidam saccharatam ut suprà cum corticibus, & succo limonum paratam, ut ad libitum interdiu sorboret potestatem fecimus. Diebus singulis in Aurorâ jusculum jejunò insulsum alteratum ex radicibus scorzoneræ, graminis cum foleis sonchi, acetosæ, melissæ, & cum seminibus citri propinabatur. Alvus clysteribus frequenter abluebatur. Sub finem diei septimæ a decubitu æstuare intus cepit Æger, uberrimè tandem insudavit, ac maculis quibusdam ubique per cutem livescentibus effusis, a motibus convulsivis, unà et a sudoribus frigidis; item et a syncope prorsus immunis deinceps fuit. Hinc rebus in dies gradatim subinde in meliùs procedentibus, ante diem decubitus vigesimamprimam hac methodo planè con-

convaluit; enervatus tamen, & viribus ita languens, exſuccus, atque excarnis, ut ad tabem proximè accederet; quinimmo et penè dicam attingeret, niſi per optimam vivendi normam, ac per uſum diuturnum lactis aſinini, a pluribus quibus per ſex ferè menſes obnoxius viciſſim impoſterum fuerat, incommodis ſe ſubducere valuiſſet.

A. ℞. *Syr. de cort. citr. unc. j., aq. acetoſ., meliſſ., ſonc. ana. unc. iv., m. f. p. &c.*

B. ℞. *Conf. hyac; alker., conſ. roſ., marg. præp., corall. rub. præp. ana. drag. j., ſyr. de pom. unc. ij., aq. cinnam., flor. aurant. ana. unc. ſs. m. f. cond. cochleatim in dies propinandum.*

ANIMADVERSIONES THERAPEUTICÆ AD CHIRURGIAM PRÆSERTIM SPECTANTES.

Quid ſint bubones parotides, anthraces, ſive carbunculi & c.

SIve ex coagulo, ſive ex ſolutione malignitas extiterit in febribus, anthraces, & bubones ob labem intus ingenitam, utì dictum eſt, non raro in iis vel extrinſecùs extuberant. Tumores ſunt quidam inflammatorii, qui humoribus pravè alteratis, atque in tubulis ſtagnantibus, variis in locis, & præſertim exterioribus, ex regionibus humani corporis ægrotantis, præter naturam attolluntur. Bubo dicitur, quum glandulas inficit inſigniores quaſi humani corporis vulgò *emunctoria*, ac per inflammationem ad ſuppurationem tendit. Anthrax autem, ſive carbo, ſive carbunculus, quum membranis nervoſis, partibuſque tendinoſis acriter inhærens, eas mordicando lacerat, corrumpit, incendit, ac penè inurit. Bubones diſtinguuntur in benignos, malignos, & venereos. Benigni vocantur, ſive ſimplices, qui in pueris præſertim, atque adoleſcentibus, redundante in partibus affectis ſero, extant; qui propterea, & cor-

poris robur, & prosperam valetudinem inferre solent. Maligni nuncupantur, qui ab illuvie quadam, sive malignâ, sive pestilenti, quæ humores priùs coinquinaverit, exoriuntur. Venerei tandem dicuntur, qui ob labem fiunt ex impuro concubitu contractam. Bubones passim ex inguibus erumpunt; interdum tamen ad fauces, secùs aures, in collo, partibusque finitimis; quo in casu *parotides* propriè appellari debent.

Quid præstandum sit in curatione bubonum, qui ex malignitate extent.

Bubones malignos nequaquam discutiendos censemus, sed tentandum potiùs, symptomaticè quamvis extiterint, ut blandè maturati, ad commodam suppurationem quantociùs perducantur, quà humores peccantes, ibique stagnantes egeri possint. Parotides verò, quum non semel adeo increscant, ut præsens inde suffocationis immineat periculum, tum nisi proximæ, ac salutaris suppurationis non ambigua nobis sese objecerit spes, exigunt, ut aut immaturè aperiantur, aut fotibus, vel inunctionibus, vel cataplasmatibus emollientibus, volatilioribusque, benignè semper, quum id tamen fieri possit, resolvantur. Quinimmo et quum necessitas urgeat, eas hisce in casibus nequaquam sanè causticis, at ferro candente inurere non planè damnamus.

Quid præstandum sit in curatione anthracis.

Anthraces, sive carbunculi eam propemodùm requirunt curandi methodum, quâ, gangrænæ evincendæ, extirpandæque, quotidiè utimur; in quo conatus omnis adhibendus videtur, ne pars infecta proximam non infectam corrumpat. Hinc ut suppuratio propediem, sive potiùs corruptio sequatur, curandum est, atque adeo escharæ separatio. In quo plurimùm sanè cauti simus oportet, ne aut altiùs quàm convenit scarificando, aut acriùs quàm par est erodendo, topicorum auxilio morbum longè magis exulceremus. Nos quamsæpissimè anthraces ita, ut sequitur, optimè curatos vidimus:

mus: nimirum debitè priùs parte in antrhace affectâ proximè emoritur â sacrificatâ, atque cum aquâ calcis vivæ postmodum intimè madefactâ, mel hispanum specificè paratum, linteamentis eo intimè imbutis, superimposuimus: idque sæpesæpiùs in dies renovavimus, donec ulcus tandem omnino extersum cicatricem induxerit. Mel hac propemodum ratione parare consuevimus A. Interdum addidimus etiam therebentinam venetam ovorum vitello solutam, theriacam, & reliqua, quæ pro indicatorum ratione nobis congruere visa sunt.

A ℞. *Mell. hispan. unc. ij., sper. cet. dragm. ij., camph. scrup. j., spir. vin. rect., sive aq. Reg. Hung. unc. ss., m. pro usu ut m.*

CAPUT VIII.

De Febre Hecticâ.

INter febres chronicas primò sese obiicit hectica, febris nimirum, quæ in habitu corporis consistere, in partibus videlicet solidis humani corporis viventis inesse, autumabant Prisci, quam proinde hecticam dixerunt, solutuque difficilem habuerunt. Eam verò paucis describendam censeo, *febrem esse chronicam, in quâ, calor augeatur licèt, lenis est, acris tamen nonnihil, ac liquans, qui propterea solidas partes fundendo, earum maciem extremam, sive tabem inducit.* Tres habet gradus. Primus est, quum in eâ calor febrilis adeo lenis est, ut vix percipiatur, quo in casu febricitantem, non modò, atque adstantes, verùm et Medicum ipsum eludere valet. Alter est, ubi calor febrilis aliquantulùm exacerbatur, & unâ præsertim, vel alterâ horâ post pastum interpositâ, intensior fit. Tertius est, ubi calor febri-

Definitio febris hecticæ.

Gradus hecticæ.

acris, ut ita dicam, & mordicans, in hecticâ adeo intenditur, atque extenditur, ut partibus ſolidis adipoſis imprimis liquatis, corpus univerſum extenuet, emacietque. Febris hectica, quæ, quum eò devenerit, nullam planè curationem admittit, propriè dicitur *maraſmoides*, *maraſmus*, ſive *tabes*.

Diagnoſis, Signa, quæ num hæctica, & quo in gradu ſit febris, declarant, alia ex dictis eluceſcunt, alia ſunt quæ ſequuntur. Pulſus frequens in primo hecticæ gradu, celer, & minor ſemper in dies. Sopor quaſi pervigil. Permoleſtum quoddam, vix tamen quandoque ſenſile capitis, cæterarumque partium faſtidium. Calor in gradu hecticæ ſecundo, unius circiter horæ ſpatio poſt paſtum interpoſito, plurimùm intenditur. Rubore intenſiùs ſuffunduntur genæ. Torpidi evadunt ægri, mærentes, triſtes, infeſti. Sitire incipiunt. Tuſſiculâ nonnunquam infeſtantur ſiccâ. Urinæ, quæ naturales priùs erant, craſſiores fiunt, atque oleoſæ. Sudores, & præſertim nocturni, uberrimi ſanè, graveolenteſque in gradu tertio, iique liquantes; quibus iccirco ſolvuntur vires, extenuatur adeps, abſumitur caro, uſquedum maraſmoides tandem, ſive tabes manifeſta inſequatur.

Cauſa. Hecticam febrem ab ulceribus utplurimùm interioribus, necnon etiam exterioribus, & inductam, & fotam fuiſſe cognovimus; ſanies enim, quæ a ſanguine præterlabente in ulceribus abſorbetur, humores labefacit univerſos, eoſque coinquinat, fœdatque; atque adeo fermentationem ſuccendit febrilem, quæ tamen lenis ſaltem principio ſit, neceſſe eſt; eoquòd particularum vis fermenteſcens, ſanie per ſanguinem effuſâ, quodammodo obruatur, eatenus dum tandem ſanguinis balſamo per fermentationem diuturniorem abſumpto, ſive præcipitato, aut alio quovis pacto a reli-

quis secreto, exaltetur, calorem majorem, sive potiùs acriorem exerat; qui solidas iccirco partes, atque imprimis adiposas fundendo, sudores, item et urinas oleosas, easque uberrimas movet, quæ *colliquativa* nuncupantur.

Prognosis. Febris hectica facilè in gradu primo curari posse creditur. Difficiliùs in secundo. Neutiqam planè in tertio. Ab anno decimooctavo ad trigesimum quintum usque, penes Hippocratem, (a) hecticæ febri obnoxii sumus; quo tempore quamdifficilè, si succendatur, evadimus. Non ita, quum vel ante, vel post eam ætatem supervenerit. In fœminis faciliùs solvitur, quàm in maribus. Alvi fluxus si insequatur, febricitantem quamprimùm decessurum præcinit. Si decidunt capilli, pessimum omen faciunt: maximam quippe indicant fluidorum corruptelam, succique alibilis acrimoniam, qui rescindit, eroditque potiùs quàm nutrit pilorum radices; quæ propterea recisæ, exsuccæ, ac penè dicam, excarnes avelluntur; quo fit, ut proprio pondere defluant capilli. Hectica febris, quæ ab ulceribus fovetur exterioribus, nisi ea tamen curationem planè respuerint, longè minùs habet periculi, & longè faciliùs cedit, quàm quæ producitur aut sine causâ manifestâ, aut ab ulceribus internis.

Curatio. Nullum unquam, hecticis curandis, prout ipsa rerum magistra quotidiè præcipit experientia, magis antiquum, magis accommodatum, ac præsens videtur præsidium, quam pacatus animus, jucundæ consuetudines, rusticationes salubres, itinera, equitationes, vectationes, & vel in exteras regiones navigationes frequentes, ac diuturnæ, quibus vel tabidos quandoque solis omnino restitutos nonmodò accepimus, verùm et ipsi vidimus. Ubi id contra nullatenus profue-

(a) *Sect. 5. Aphor. 9.*

fuerit, incassum penè pleraque cessisse alia remedia in hecticâ verâ semper observavimus. Victus esse debet optimi succi, humectans, non semper tamen tenuis, quin et plenior potiùs, utplurimùm, quàm tenuissimus, concoctu cæteroquin facilis, & medicatus, ut infra dicendum. Vinum noxam plerùmque intulit. Loco vini ptisanam alii, alii mulsam, cerevisiam alii obiiciunt. Infusionem radicis chinæ cum melle hispano, ac sufficienti quantitate optimi cinnamomi in mulsæ formam digestam, nos utique commendamus. Loco mellis, satiùs interdum quoque utimur passulis majoribus recentibus mundatis, necnon et radice glycyrrhizæ &c. In victu prosunt hordacea, amygdalata, cancri fluviatiles, in jusculis præsertim sive gallinaceis, sive vitulinis elixatis. Nocent salita nimis, aromatizata, eaque omnia, quæ particulis scatere solent acribus, ac volatilibus nimis; quæque iccirco humores universos acriores in dies semper efficiunt, magisque erodentes. Aer deligatur temperatus, serenus, perflatus, qui ad humidum, frigidumque potiùs, quàm ad calidum declinet. Id præ cæteris monet Galenus, qui docet præterea æstivo tempore, ubi calor magis intenditur, hecticâ febre laborantes, commorari debere in locis subterraneis, quæ sint frigidissima, unà et maximè ventilata; eoque unico præsidio febricitantem hecticum extremâ macie confectum, intra mensem restitutum se vidisse proclamat Riverius. Nisi respondeat alvus, clysteribus leniter concitanda. Plurimùm confert, utì ante jam diximus, hilaritas. Mærorem e conversò, æquè ac animi angustias, curasque mordaces hecticam quamsæpissimè per se solas induxisse habemus. Coitus, maximè nimius, fugiendus, in quo sanguinis, ut ita dicam, uligo, quæ nimiam fluidorum compescit acrimoniam, absumitur. Purgationes penitus

tus

tus in hecticâ proscribendæ, ne lympham eam per dejectionem educamus; quæ humores concretos diluit, ac salium vim acrem, fundentemque enervat. Hinc potiùs humectantia conveniunt, alkalisata, bolosa, atque absorbentia. In quem finem optimo cnm successu adhibentur pulveres ocul. canc., rasur. ebor., cor.cer.&c., gelatina ejusdem cor. cer., & reliqua ejusmodi, decoctiones emollientes, antiscorbuticæ ex radicibus ex.gr. graminis, altheæ, fragarum, ex floribus, foleisque borraginis, violarum, primulæveris, pimpinellæ, hederæ terrestris, cochleariæ &c. At præ cæteris serum, item et lac, asininum imprimis, solemne, ac præsens hecticæ curandæ solet esse auxilium; de quibus in historiâ, necnon et in animadversionibus subsequentibus fusiùs. Ad obstructiones viscerum, quæ hecticam passim aut fovere, aut comitari, aut saltem insequi solent, reserandas, perquamidoneas censemus aquas chalybeatas largè haustas, non secus ac nucerianam, quæ particulas insuper salsas eluit, infringitque, ac per urinam subducit. Sanguinis missio,ubi redundet, & ob menses præsertim aut non debitè fluentes, aut diu retentos, sive ob excretiones consuetas, aut per hæmorrhoides, aut per nares, aut per alia loca non ita pridem suppressas, necessaria videtur. Vesicantia contra, item et fonticuli planè ableganda; eoquòd pus illud, quod in ulceribus conficitur, per ulcera ea extrinsecùs inducta, non excernatur omnino; quinimmo ejus aliqua saltem portio, sive a sanguine, sive ab aliis per ulcera circumeuntibus humoribus absorpta, in gyrum per venas remeat, fluidorum massam iterum coinquinat, atque hecticam potiùs exasperat. Vesicantia præterea damnamus item, ratione potissimùm cantharidum, quarum acerrima effluvia, utì sensibus patet, a carne extrinsecùs affectâ,intus immittuntur in vasa, ac flui-

fluidorum acrimoniam longè magis acuunt. De fotibus, æquè ac balneis, aquæ potissimùm dulcis, non ita judicandum, quæ opportunè adhibita, feri vim erodentem diluunt.

Historia VII.

Quicquid, febri hecticæ medendo præstare consuevimus, historiâ declaramus.

GLycerium nobilis, ac nubilis puella, quæ decimumseptimum nondum compleverat annum, optimè constituta, robore valens, atque aspectu venusta, temperamento prædita calido, humidoque, nempe sanguineo, amore tribus circiter ab illinc mensibus vehementer capta, zelotypa fit, ac miserè ideo angitur. Mense Augusto, tum, quum fluxus lunares, qui priùs opportunè, commodè, affluenterque ad id temporis nunquam non confluxerant, recurrebant, ex inopinato exterrita, ac mensibus iccirco omnino compressis, febre corripitur ardentissimâ, rigore prævio; quæ ex acutâ post diem morbi vigesimamprimam, quartana simplex evadit, contumax, diutina, quam tandem pertesa, ulteriorem curationem ad annum, & ultra neglexerat. Fluxus præfatus pridem suppressus, utì consueverat, tandem reversus quartanam penitus solvit. Paulò post febricula quædam insequitur; quam, cum ad menses fere octo sine ullâ sensili remissione perdurasset, hecticam esse pronunciavimus. Mitis erat quippe calor. Lenis per articulos universos evagabatur dolor. Aderat tussicula, quæ duarum circiter horarum spatio a pastu interposito nonnihil exacerbabatur, quo tempore impensè quoque rubebant genæ. Torpida erat, languens, pervigil, siticulosa, mœrens, irrequieta, noctu præsertim, ubi præterea in sudores uberrimos solvebatur. Urinas emittebat crassas, oleosasque. Pulsus parvus erat, frequens, & celer. Saliva salsa.

Cor-

Corpus insuper universum tabes ita confecerat, ut febrem ad gradum saltem hecticæ secundum pervenisse, inferre quisque potuerit. In eo planè statu hanc mense Aprili Anno salutis 1713. tractare cepimus. Quia autem, ut famem, quâ interim laborabat quasi caninâ, expleret, opiparè vescebatur, & alvus adstricta erat, ventrem ideo blandè priùs sero caprillo solventi A concitavimus. Ut verò viscerum obstructiones evincerentur, atque ut ab humoribus labes fundens jam ante contracta elueretur, serum hac aliâ ratione B paratum in Aurorâ quotidie iterum sumendum confecimus. Ut primùm alvus sero solventi soluta, fluere ceperit, alteram quantitatem seri caprilli ad libras circiter quatuor depurati ex intervallo potandam ei præscripsimus; ac deinde, modò ulteriùs sitiisset, ut aquam nucerianam frigidam, utut ei libuisset vel post pastum superbibisset, potestatem fecimus. Serum præfatum B pro diebus sequentibus constitutum in cubili hauriebat. Et postquam ad horam ferè quievisset, insurgere consueverat, per amœna subinde ambulatura. Ut placidè tamen, commodè ac lentè incederet, ne sanguis excandesceret, hortabamur. Lacte interim duntaxat caprillo cum ovorum vitellis recentium quassatis, per B. M. cocto bis in die cum s. q. panis optimi triticei, abstemia prorsus, reficiebatur. Loco vini potare consuevit decoctionem hanc C. Diebus quindecim vix exactis, sudores nocturni planè sistuntur. Uberior excernitur urina, quæ tamen optimæ sit conditionis; atque alvus laxitatem quandam inde naturalem sibi comparare cepit. Quamobrem longè placidiùs noctu requiescebat Glycerium. Longè minùs febricitabat. Et ut multa paucis complectar, longè meliùs eam se deinceps habere manifestissimè cognovimus. Adeo ut brevì post, febre radicitus extinctâ, ac animo tandem pacato, carnem sibi induit, modicam suscepit

pinguedinem, neque alia impoſterum patiebatur incommoda, præter eam, quâ adhuc vexabatur tuſſiculâ ſiccâ, atque irritanti, quæ, ut planè extenuaretur, lac aſininum poſt ſeri præfati uſum, eâ, quæ inſequitur ratione D paratum, propoſuimus; neque incaſſum, ſiquidem lac illud ſorbere vix ceperat, ut optimè convaluerit; eâ tamen prorſus in omnibus ſervatâ ratione, quam pro uſu ſeri præſcripſimus.

A ℞. *Mell. hiſpan. opt. unc. iv., crem. tart. drag. ij., ſer. caprill. lib. j., m. f. ſerum ſolv. ſumendum in Aurorâ, cui horæ unius circiter interpoſito intervallo, ſuperbibere alteram per vices incipiat ſeri quantitatem ad libras uſque quatuor, & ultra.*

B ℞. *Flor. borrag., viol., primulæver., foleor. pimpinel., heder. terreſtr., chocleariæ ana. pug. iij., ſer. capril. recent. lib. j. m. f. levis infuſ., & mac. S. A., col., f. f. expr. & adde Mell. hiſp. opt. unc. j., matriſperl. præp. dragm. j. cap. quot. jejunò in A. pro ſyr. ad dies* 40. *circiter.*

C ℞. *Hord. mund., & elixat. unc. ij., rad. opt. chin. dragm. ij., cinnam. opt. ſcrup. j., aq. nucer. lib. iv. m. f. inf. & mac. S. A. ad hor. xii. circ. ciner. calid. Adde paſſular. majorum mundat. rec., & mel. hiſp. q. ſ. ad g. ſ. bull. lenit., deſp. S. A., col. pro potu quotid. ut m.*

D ℞. *Lact. aſin. lib. j., cui adde ſyr. rad. chin. cum mel. hiſp. confect. unc. j. cap. bis in die h. m.*

ANIMADV. AD THERAPEUT. SPECTANTES.

Quid ſit mel, & quid præſtet in uſu medico.

MElle intus ſatiùs quàm ſaccharo in Praxi medicâ utendum ducimus. Mel quippe, nihil aliud eſſe videtur, quàm ſuccus quidam roſcidus, quem ex variis hinc inde delectiſſimis floribus, odoratiſque foleis delibare ſolent apes; quemque ingeſtum, ac leviter immutatum ex ſtomacho poſtmodum in foveolis alvea-

vearium cereis eructant; ubi reconditus fermentatur, atque effervescit; donec optimè tandem digestus, atque in mellis formam subactus, eam, quâ pollet vi, sibi comparet balsaminam. Particulas, quæ tamen blandè agunt, longè volatilioris habet, quàm saccharum *hodiernum commune artificiale*, quod ex cannis contusis, atque contritis expressum, igne concrescit. Saccharum dico hodiernum commune artificiale; *vetus* enim, quod, penes Majores nostros, solemne fuisse accepimus, species fuit mucoris, ut ita dicam, melliti; qui naturæ solius ope in foleis, sive in tubo talium cannarum extrinsecùs ex succo quodam earum tenuissimo exudante, cum rore matutino immixto, ad Solem inde, veluti manna, inspissatur. Mel tum ob plurimum, quod habet volatile, tum ob balsamum illud roscidum, tenue, ac blandum, quod ex plantis potissimùm suaviter fragrantibus rore madefactis nanciscitur, leniter solvit, detergit, roborat, unà et aperit. Quamobrem Mulierum mensibus, aut deficientibus, aut diu suppressis ciendis, revocandisque; necnon etiam obstructionibus viscerum reserandis præsens sanè haberi debet remedium; quo optimo cum successu in jure utplurimùm simplici ad unciam unam, aut duas quotidie in dies plures subinde frequentissimè utimur et ipsi, jampridem edocti a Viro celeberrimo Francisco Redi Præceptore nostro olim dignissimo, qui pro re natâ mel præsertim hispanum in præfatis affectionibus prædicare consueverat. Hispanum præ cæteris in Italiâ optimum existimamus, inde Calabrum. In plagis siquidem ejusmodi calidioribus ob majorem plantarum virtutem mel longè melioris notæ deligitur. Si decoquatur, & despumetur, tenujores avolant particulæ, atque adeo ejus, ex nostrâ sententiâ, potiùs obtunditur vis, quâ morbis medetur. Mellis abusus pluribus ex causis noxius

xius censeri debet, juvenibus potissimùm, hypochondriacis, scorbuticis, hystericis, & maximè febrientibus, dummodo febris ardens sit; eoquòd cum succis intestinorum facilè fermentando, effervescat, immutetur, corrumpatur, atque in vappam, ut ita dicam, degeneret.

ALIÆ ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Victus salitus pro hecticis curandis non planè improbandus.

SUnt qui hecticæ curandæ victum planè insulsum commendare consueverunt; atque adeo hecticâ affectos ab eduliis salitis omnino arcebant. Sal quamvis, vel ex nostrâ sententiâ, quum eo hectici abutantur, valdè noxium haberi debeat, utpote quod intus per meatus corporis humani effusum, humores universos, & præsertim lymphaticos acriores facere, magisque erodentes valeat. Tantum tamen Clinicorum eâ in re rigorem non probamus. Salis abusum in hecticis utique damnamus; quemadmodum damnamus item, fercula iis neque sale vel minimum condiri. Sal enim dapibus modicè inspersum, ventriculi fibras, æquè ac intestinorum roborat, blandè stimulat, fermentorum vim acuit, digestiones adjuvat, secretiones movet, alvum lubricat, atque alios optimos præstat effectus vel in hecticis ipsis; qui præposterâ ejusmodi quandoque victus potiùs ratione, quàm febre ipsâ, brevì, aut contabescunt, aut cachectici prætermodum intumescunt &c. Hyacinthus Fontana, vulgò *Farfallino*, municeps noster inter comicos modulatè canentes, temporibus nostris celeberrimus, hecticè superioribus annis febricitans, Parisiis Romam, penè jam confectus, nauseabundus, imbecillis, insomnis, ac propemodum expirans, redierat; quem nos protinus quasi, mense Ja-

Januario inter ludos baccanaliorum, convaluisse observavimus postquam eo, quo utebatur victu, prorsus insipido fidenter improbato, ut fercula de more saliret præmonuimus. Si adeo, utì vulgò creditur, nobis noceret sal, saporibus, quos ex dapibus non inconcinnè salitis elicit, sensus nostros tam eleganter neutiquam scalperet; quum sensuum organa, ut et in aliis tractatibus ante jam declaravimus, ad id unicè nobis instruxerit Sapientissimus ille Maximus Optimus Opifex, ut per affectiones modò suaves, modò insuaves ab objectis sensilibus intimè partas, quicquid humani corporis fabricæ conservandæ, sibi conveniat, ad punctum, ut ita dicam, temporis quisque intelligat.

CAPUT IX.

De Febre Intermittente in genere.

Quia febris intermittens, modò certâ, modò incertâ recurrit periodo, hinc fit, ut modò dicatur *vera intermittens*, sive *intermittens regularis*, modò dicatur intermittens *erratica*; sive intermittens *non regularis*. Vera intermittens est, ubi *certâ recurrit periodo*. Intermittens erratica vocatur, quum *incertâ recurrit periodo*. Veræ intermittentes rursus dividuntur, *ratione temporis*, *ratione moris*, *ratione complicationis*. Ratione temporis distribuuntur in *quotidianas*, *tertianas*, *quartanas*, *quintanas &c.* Ratione moris in *benignas*, *& malignas*. Ratione complicationis in *simplices*, *& compositas*; quæ iterum distinguuntur in *compositas homogeneas*, atque in *compositas heterogeneas*. Compositæ homogeneæ, sive ejusdem generis, dicuntur, quæ pluribus componuntur intermittentibus ejusdem generis. Hujusmodi sunt quotidia-

Varia intermittentium genera.

tidiana ex. gr.,five duplex, five triplex &c.,duplex, five triplex tertiana, quartana &c. Intermittentes heterogeneæ vocantur,five generis diverfi,quum intermittentes fimplices, quibus componitur intermittens compofita, fint diverfi generis, ut ex. gr., quum quotidianæ fimplici injungatur tertiana, quartana, & fic de cæteris.

Diagnofis. Ex hactenus dictis de naturâ, ac diverfitate intermittentium in genere, educuntur quoque figna diagnoftica; de quibus tamen fufiùs, quum de fingulis intermittentibus verba facienda funt, dicturi, non eft, cur impræfentiarum plura dicamus.

Caufa. Febres intermittere, eafque per intervalla recurrere, ideo autumamus,quia humor peccans, fermentum nempe febrile confectum priùs, atque in cavis,meatibus, tubulis, five in glandulis obftructis collectum, adeo ibi cumuletur, atque excandefcat, ut objicibus tandem, five repagulis fuperatis, atque diftractis, identidem eructet in maffam fanguineam, quâ fædatâ, labefactâque, nil mirum, fi ejus vis, aut fervor quodammodo priùs obruatur; qui poftmodum, fubactis, digeftis, atque extenuatis, five difcuffis craffioribus grumis, neceffe eft, ut invalefcat, ac longè majorem vim acquirat. Hinc fermentatio, calor videlicet in acceffionibus, quæ intermittunt, principio utplurimùm valdè reftinguitur, incrementum longè majus deinceps fufcepturus.

Prognofis. Duo potiffimùm, ratione prognofis, de intermittentibus in genere confideranda fefe objiciunt: febris nempe natura, atque urinæ conftitutio. Refpectu febris, *quocunque modo intermiferit, periculo vocat* ex Hippocrate. (*a*) Attamen, ubi acceffiones malignitatem præfeferunt, planè quantumvis intermittant, neutiquam fine maximo vitæ periculo recurrunt. Intermittens,

(a) *Aph.43. fect.4.*

tens, quæ diu ſeſe produxerit, aut in hecticam, aut in hydropem facilè deſinit. Autumnales contumaciores. Si negligantur, aut ſi perperam tractentur, fieri ſolent continuæ, quandoque acutæ, quandoque chronicæ admodum pervicaces. Reſpectu urinæ, ſi principio tenuis ſit, clara, cruda; & craſſior tamen ſi ſubinde evadat, turbeturque, febrem intermittentem brevì ſolutum iri indicat. Quinimmo et ſedimentum quò citiùs demittit, eò meliùs.

De curatione intermittentium perpauca hæc in genere recenſere juvat. In diætâ id præ cæteris curandum, ne vel ante, vel in ipſo paroxyſmo veſcatur æger. Quinimmo principio paroxyſmi, neque potus propinandus, cujus tamen in ſtatu, atque in declinatione potiſſimùm, pluribus de cauſis, de quibus infra, pleniſſima facienda eſt copia. *Quicquid enim,* verbis utor Dolæi, *paroxyſmus in ſtomacho invenit, id omne corrumpit, atque in ſcorias febriles vertit.* Sorbitiones chalybeatás commendamus, utpote quæ viſcerum obſtructiones intermittentibus conſuetas reſerare valeant. Vigente paroxyſmo, necnon etiam ſub finem, ſudoribus præſertim inſtantibus, ut largæ ſint, ac frequentes, opera danda eſt; membranas quippe, ex æſtuatione febrili arefactas, refrigerant, humectantque, ſalia concreta, & quodammodo fixa, volatilioribus in fermentatione febrili abſumptis particulis, ſolvunt, eaque per ſudorem, quem longè faciliùs movent, eluunt, emittuntque. Emetica, vomitoria nempe, febribus extinguendis, extirpandiſque, ſi unquam convenerint, id maximè in intermittentibus, & præſertim contumacioribus, ex vitio ventriculi contuliſſe, comperimus. Ubi idonea cenſentur, unâ, vel alterâ horâ antequam paroxyſmus invadat, & tum maximè, quum ſtomachus nauſeabundus ſponte, ut ita dicam, ſuà, ſeſe exonerare enititur, pro- Curatio.

propinanda; vel quum a ſomno matutino experrectus æger, aut oris amaritudinem, aut nauſeam, aut ructus patitur nidoroſos. Morbi principio, utì diximus, maximè conveniunt; neque nocent proceſſu, ſi intermittens, aut producatur, aut reviviſcat, aut ſymptomata ingraveſcant. Leniora tamen eligantur, quæ neque irritent nimis, neque viſcera torqueant. Purgationes, ſi fortiores ſint, intermittentes utplurimùm exaſperant; organorum quippe facultates evertunt, fluidorum conſtitutionem turbant, vires minuunt, atque æſtus febriles, ſymptomatum recrudeſcente ſyndrome, movent magis, ac augent. Clyſteres contra vel ante paroxyſmum injecti, & præ cæteris leniter detergentes, ſymptomata valdè leniunt, iis præſertim, quibus aut alvus adſtringitur, aut injunguntur in paroxyſmo præcordiorum anguſtiæ, viſcerum ardor, borborygmi, hypochondriorum inflationes &c. Febrifuga, cortices nempe kinæ kinæ, coni cupreſſini exſiccati, cortices aurantiorum, hiſque ſimilia nequaquam in paroxyſmo, verùm aut ingruente, aut multò ante, aut etiam poſt, vel diebus ipſis intermiſſionis, propinanda ſunt, eaque iteranda, parvâ tamen doſi per vices plures, iterum, atque iterum vel quum ad plures dies penitus intermiſerit febris, quo morbi radicibus omnino ſublatis, intermittens funditus tandem evellatur. Hæc tamen, niſi alvo priùs opportunè purgatâ, humoribus ritè præparatis, ac fermento febrili per acceſſiones febriles quodammodo ſubacto, adhiberi tutò nequaquam ſolent, præterquam in intermittentibus malignis; quibus principio confeſtim occurrere debemus, ne ægrotum interficiant, ut deinceps fuſiùs dicturi. Acceſſiones, niſi præviâ ſaltem aliquâ horripilatione invadant, febrifugis plerùmque reluctantur. Venæ ſectionem intermittentibus compeſcendis

ut-

utplurimùm ſine ſucceſſu hactenus experti ſumus; quinimmo et atrociores quandoque provocaſſe invaſiones, obſervavimus. Non ita tamen ubi febris intermittens excretiones ſanguinis diù retentas inſequuta ſit; tum enim minimè negligendam exiſtimamus.

CAPUT X.

De Quotidianâ ſimplici benignè intermittente.

Quotidiana benignè intermittens ea dicitur febris, *quæ quotidiè intermittit, atque adeo quotidiè recurrit ſine malignitatis indiciis, frigore tamen, utplurimùm, atque horrore præviis, febrientem non procul a cibo ingeſto invadens.* Definitio quotidianæ ſimplicis benignè intermittentis.

Quamobrem ab invaſionibus præſertim dignoſcitur quotidianis, quæ penitus intermittere, atque recurrere debent ſine ullo malignitatis indicio, ut quotidianam ſimplicem benignè intermittentem propriè conſtituant. Diagnoſis.

Quicquid commenti unquam fuerint Veteres de origine febris hujuſmodi intermittentis, pituitæ in ſtomacho, æquè ac in inteſtinis putreſcentis vitium culpantes, nos longè probabiliùs ducimus, non aliâ de causâ quotidianam ſimplicem benignè intermittentem excitari, niſi quòd humor quidam ſtagnando in tubulis obſtructis viſceris alicujus, depravetur, ac depravatus tantum ibi quotidie ſuſcipiat incrementum, ac tanto cum impetu obices quotidie impellat, ut ſemel in die eos vincat, atque in vaſa irrumpat ſanguifera; ubi ſanguini immixtus fermentationem febrilem ſuſcitet. Quod autem ut luculentiùs ſit, ponamus ex. gr. in meſenterio, ductibus quibuſdam lacteis obſtructis, glandulis, ſive potiùs receptaculis chyloſis ſtagnando inhæſiſſe Cauſa.

portionem quandam chyli; quæ ibi propterea consistens adeo alteretur, sive potiùs depravetur, ut in fermentum abeat febrile; quod intra spatium horarum 24. ita cumuletur, effervescat, rarefiat; ac rarefactus ita ebulliendo intumescat, ut ibi inclusus diutiùs stare nequeat. Atque adeo ponamus, impetu facto, viam sibi per meatus obstructos quodammodo stravisse. Fermentum id, tum deferatur necesse est in cysternam chyli communem, ac per ductum thoracicum, venamque subclaviam sinistram in auriculam cordis dexteram; ubi sanguini immixtum, ac intimè perfusum, unà cum eodem sanguine quaquaversum effunditur. Hinc fermentatio suscitatur febrilis, quæ ferè semper, tremore, ac frigore præviis, invadere deberet; quibus exinde succedere æstus febrilis; quæ fieri minimè potest, quominus habeat incrementum, statum, ac decrementum, cessans quotidiè penitus, atque recurrens pluribus ex causis mox exponendis.

Quare invasiones febriles utplurimùm prævio rigore, & certâ, sive incertâ periodo excitentur &c.

Deberent priùs sensibiles fieri tremores cum frigore. Fermentum enim febrile, quod recèns sanguini commiscetur, & unà cum sanguine vasis sanguiferis distribuitur, crudum adhuc, crassum, rude, atque, ut ita dicam, indigestum, cordis ruditer irritat fibras, æquè ac minimos plexus nervosos, sanguinis fermentationem obruit, & calorem iccirco compescit, imminuitque. Indè horripilatio, tremores quandoque spasmodici, concussiones, ac molesta corporis universi perfrigeratio. Perfrigerationem ideo paulò post insequitur æstus febrilis, quia fermentum febrile ulteriori fermentatione magis magisque subactum, sensim semper per gradus extenuatur, donec tandem exaltatum incendatur, atque effervescat. Quamobrem in intermittentibus universis perfrigeratio saltem aliqua spasmodica, ac convulsiva, æstum febrilem præcedere solet.

Fer-

Fermento demum febrili, aut penitus absumpto, aut despumato, aut excreto, egestoque, calor extinguitur febrilis; qui modò magis, modò minùs producitur, prout major, vel minor est quantitas humoris peccantis, sive prout magis, vel minùs resistit &c; neque priùs recurrit, quàm alia quantitas humoris stagnantis, stagnando alteretur, atque in fermentum febrile, utì priùs, convertatur, in vasa sanguifera iterum, atque iterum irrupturum. Quicquid innuimus de quotidianâ intermittente, intelligere quoque expedit de tertianâ, quartanâ, ac de universis intermittentibus; quarum periodi excitantur, præfiniuntur, diriguntur que a qualitate, & quantitate materiæ pravæ stagnantis in visceribus obstructis, in quibus magis magisque in dies immutatur adhuc, atque corrumpitur. In visceribus dicimus obstructis, id siquidem contingere potest vitio, non modò solius mesenterii, verùm etiam hepatis, lienis, pancreatis &c., necnon etiam a suppuratione quadam interiori; quæ tamen febres, erraticas potiùs procul ab omni lege, quàm periodicas, statis temporibus, intermittentes progignere, atque educare solet.

Febris quotidiè intermittens, periculo quamvis plerùmque vacet, contumax adeo esse solet, ut ad plures menses quandoque perducatur. Neglecta tamen, sive si perperam tractetur, non expers periculi; quinimmo et ad tabem, & ad hydropem, febricitantem quamsæpissimè deducens, enecare solet. Prognosis.

Quotidianis intermittentibus solvendis plurimùm confert aer calidus, & siccus potiùs, quàm frigidus, atque humidus, victus tenuis, humectans, optimi succi, concoctuque facilis. A vino, prioribus præsertim diebus, planè abstineatur. Alvus sit adaperta, animique affectus, fieri quantùm possit, pacati. Priusquàm febrifugis utamur, ut alvus, & stomachus eluatur, nec- Curatio.

 non

non etiam ut humores præparentur, opera danda eſt. In quem finem clyſteres, non modò præſcribendi ſunt priùs, verùm etiam purgantia, item, ſi opus fuerit, emetica, aut vomitoria, leniora tamen, & blandiora. Decoctiones dehinc, infuſiones, atque emulſiones conveniunt emollientes, aliquantulùm amaricantes, deobſtruenteſque, de quibus univerſis in hiſtoriâ ſequenti. Si redundet ſanguis, minuendus. Quibus opportunè præmiſſis, quum febris adhuc tamen quotidiè recurret, tum ad præſidia febrifuga, de quibus et in ſuperioribus verba fecimus, & in ſequentibus facturi ſumus, confugiendum.

Hiſtoria VIII.

Quicquid, quotidianæ ſimplici intermittenti medendo, præſtare conſuevimus, hiſtoriâ declaramus.

PAmphilus decem et octo ab illinc annis natus, corpore ſano, nonnihil pinguis, ac temperamento, quod calidum, & humidum dicitur, ſanguineo videlicet, præditus, Menſe Auguſto, ardente Syrio, non procul a fonte frigidiſſimo, ſub umbrâ platani, zephyro flante, ludendo delaſſatus, placidè obdormit inſudans. Experrectus, ac fame tentatus, fructibus præſertim horariis, avidè veſcitur, quibus vinum malvaticum meracius ſuperbibit; quo temulentus domum revertit, atque recumbens, ſopore arctiſſimè captus, ad plures horas iterum obdormit. Expergiſcitur tandem, & ut conſopitus plurimùm inſudaſſet, faucibus exhauſtis, plurimùm ſitit. Hinc intus, utì dictitabat, penè areſactus, gelidam, quam artificiosè ei confecerant, perquàm acidam ex ſucco limonum, largè ſorbere cepit. Siti expletâ, denuo recumbit, unà et requieſcit. At ex inopinatò vehementiſſimis torminibus, alvo ſuppræſsâ, excitatus, niſus habet evomendi irritos; quibus occurrit theriaca, quam vino generoſo ſolutam deglu-

glutivit. Solvitur inde alvus, ac nisibus evomendi planè pacatis, longè meliùs se habere testatur. Attamen nauseabundus, ac viribus perfractis, admodum languens, de maximâ conqueritur apepsiâ, unà et de summâ capitis imbecillitate: id ferè per triduum, eò usque dum non procul a prandio, tandem frigefactus, ac rigore quodam repentino correptus, ad horam circiter concutitur. Mox calor febrilis insequitur, qui processu intensissimus fit; ac postmodum decrescens, intra spatium horarum 12., vomitu prævio bilioso amarissimo, prorsus extinguitur. A febre immunis fit ad eandem planè usque horam diei præcedentis. Ex quo iterum, utì pridem, iisdem symptomatibus renascitur, item et resolvitur paroxysmus, eandem propemodum servans periodum ad diem usque morbi octavam. Quo tempore sese nobis tractandam objecit. Febrem esse quotidianam simplicem benignè intermittentem dignoscentes, eam hac, quæ insequitur, methodo illico tractare suscepimus. Ex erroribus, quos in victu potissimùm præmiserat, necnon et ex nauseâ, vomitu, sapore pravo, atque hypochondriorum inflatione, quæ in paroxysmo præter naturam intumescebant, stomachum, æquè ac intestina, sarcinâ recrementorum quadam effœtâ, sive non congruâ in hoc morbo affici imprimis, pro certo habuimus. Eluenda iccirco quamprimùm fore judicantes, potionem hanc A emollientem blandè solventem, clystere ex solo jure salito priùs injecto, hauriendam confecimus. Quæ ut concitaverit alvum, iterum atque iterum præcepimus, ut superbiberet jusculum modicè salitum ad quantitatem libræ unius, & ultra, per vices tamen, quo satiùs alvi colluvies elueretur. Ut primùm itaque præfatæ purgationis ope abluta est alvus, longè meliùs imposterum se habere cepit æger, ratione præsertim, tum nauseæ,
tum

tum vomitus, tum hypochondriorum, quæ priùs intumuerant. At enim verò, licèt non adeo utì pridem infesti, recurrebant tamen quotidie paroxysmi. Hinc humoribus, jusculo alterato decoctionibus idoneis, quod jejunò potabat, priùs præparatis, quotidianam hanc intermittentem febrifugis planè eradicandam decrevimus; quæ per infusionem quater, diebus singulis ita ut in B præbuimus. Dies erat morbi decima, ex quâ ejusmodi febrifugo uti ceperat, neque incassum; siquidem ante diem vigesimam septimam, sudoribus uberrimè erumpentibus, unà et urinâ abundè excretâ, in pristinum se optimè restitutum sensit Pamphilus.

A ℞. *Syr. viol. viol. unc. ij., ol. amygd. dulc. rec., & f. ig. ex. unc. iv., aq. cinnam. unc. j., m., & cap. in jure insulso tartarisato.*

B ℞. *Cort. kin. kin. unc. j., cinnam. opt. dragm. ij., sal. tart. dragm. ß., aq. com. lib. iv., m. f. inf., & mac. in B. M. ad hor. 48. circiter S. A. Adde mell. hispan. unc. iv. bull. levit., despum. colet. cap. per vices ad quantitatem unc. iv. singulis vicibus hac lege, uncias nimirum quatuor h. m., & tantundem horâ quotid. ante prandium, & ante cænam &c.*

CAPUT XI.

De Tertianâ simplici benignè intermittente.

Definitio. Febris tertiana simplex benignè intermittens, tertiana ideo vocatur, quia tertiâ quaque die recurrit; quocirca eam describendam ducimus, *febrem esse, quæ planè licèt intermiserit, tertiâ quaque die recurrit, rigore utplurimùm præeunte sine ullo malignitatis indicio*. Rigore dicimus utplurimum *præeunte*, eoquòd in tertianis quandoque, rarò quamvis, ut vel ipsi

ipsi passim observavimus, sine ullâ, vel levissimâ sensibili horripilatione de tertiâ in tertiam diem recurrat calor febrilis.

A periodo, qua tertiâ quaque die recurrit febris, quæ omnino intermiserit, evidentissimè dignoscitur, eam temporis processu tertianam fore. Principio autem tertianam fore simplicem intermittentem benignam suspicari datum erit, si intra horarum duodecim circiter spatium, nullo vel levi apparente malignitatis indicio, planè intermiserit. Si cum horrore, ac frigore vehementer febrientem corripuerit. Si febris progressu imme[illegible] tandem incaluerit. Si vomitus accesserit amar[illegible] aut principio, aut incremento, aut in statu, sive in decremento paroxysmi. Hinc non modò vomitus inter symptomata tertianarum simplicium connumerari solet; verùm etiam quicquid molesti infert, tum in ore, tum in ventriculo, tum in partibus finitimis humor peccans, qui ventriculi, unà et intestinorum plexus nerveos lædere possit, antequam evomendo egeratur: anxietas nimirum, præcordiorum angustia, nausea, sapor amaricans, ructus nidorosi, atque, faucibus exhaustis, sitis quandoque ardentissima &c. Diagnosis.

Quicquid de origine tertianæ simplicis benignè intermittentis protulerint Prisci, fermentum febrile in eâ, non secus ac in reliquis universis intermittentibus, ubique locorum confici, latitare, et cumulari posse in visceribus obstructis corporis humani viventis existimamus; quandoquidem si de tertiâ in tertiam diem in vasa irrumpat sanguifera, minimè fieri poterit, quominus excitet accessiones febriles typo tertianario ex intervallo recursuras, ut non ita pridem satis superque declaravimus. . Causa.

Tertiana simplex benignè intermittens, nullum quamvis naturâ suâ periculum habeat, non est tamen, Prognosis.

quod

quod nonrarò, aut si negligatur, aut clinice malè administratâ si vitietur, evadere non possit vel intermittens maligna, vel continua acuta, ac perniciosa, ut non semel percepimus. Nonnumquam, declinante præcipuè autumno, in quartanam cessisse observavimus. In senibus neutiquam sine periculo. Superveniens icteritia, tertianam solvit. Tertiana, quæ legitima est circuitibus septem terminatur ex Hippocrate (*a*) vel ad summum decem. Sin autem ulteriùs producatur, difficilior curatu fit. Nubecula alba per urinam in matulâ stagnantem suspensa, brevì solvendam tertianam denotat. Quò vehementiora in accessionibus apparuerint symptomata, dummodo febris penitus intermiserit, eò citiùs solvendam fore, prænunciant. Ulcera, quæ labiis supervenerint, eam contumaciorem fieri penes nonnullos indicant; tametsi non ita sentiant alii perplures, inter quos Riverius præcipuè ita scriptum nobis reliquit (*b*). *Scribit Haly, & vulgatissimâ docetur experientiâ, tertianâ laborantibus, si ulcerâ, aut pustulæ in labiis, & naribus erumpant, finem febris præsagire. Est enim quædam veluti crisis, quæ ad illas partes fit*. Quum diù protrahitur, viscerum obstructiones, & lienis imprimis contumacissimas facit.

Curatio. Præter ea, quæ, ratione diætæ quotidianæ simplici curandæ, antea proposuimus, quæ profectò et tertianæ simplici evincendæ planè conveniunt, animadvertendum superest, tertianam simplicem intermittentem, benigna licèt sit, valdè tamen pervicacem fecisse victum saccharatum, mellitum, salsum, atque aromatizatum, validam; ac diuturnam corporis exercitationem, item et vigilias datâ operâ diù protractas. Hinc sopori quandoque opiata in tertianâ conciliando apprimè conducunt; quæ sola eam nonrarò, contumacissimam quam-

(a) *Sect. 4. aph. 59.* (b) *Prax. Med. lib. 17. cap. 3. de febr. tertian.*

quamvis, omnino extenuasse, conjecimus. A vino prorsus abstinendum. Quietem tum animi, tum corporis præ cæteris commendamus; corpore quippe quiescente, ac animo pacato, succorum in organis digestiones, in vasis despumationes, in glandulis secretiones, longè faciliùs peraguntur. De curatione pharmaceuticâ, æquè ac chirurgicâ, quum eadem ferè pro curandis, tum tertianis simplicibus, tum simplicibus quotidianis benignis usurpari debeat, non est cur hìc plura addamus; eòque minùs, quod si quid de iis reliquum est, in historiâ, quæ insequitur, id fusè exponere non dedignabimur.

Historia IX.

Leucippus venator, vir annorum triginta circiter, optimè constitutus, neque pinguis, neque prætermodum gracilis, temperamento præditus, quod calidum, & siccum, sive biliosum vocant, staturæ proceræ, nullum propemodum, in victu præsertim, ordinem servans, mense Januario subdio venando, aquilone vicissim, atque austro promiscuè, nullâ lege servatâ, ex adverso flantibus, æquè ac reflantibus, varia passus incommoda, rusticum tuguriolum ingreditur. Algens gelu, ac imbribus madefactus, foco assidet. Calesit. Conquiescit. Valdè inde exuriens, leguminibus, cæpis, item et carne suillâ abundè vescitur, mero interim plurimùm indulgens. Domum postridie reversus acerrimis, ac circumvagis per articulos universos doloribus tentatur, quos capitis quædam gravedo non ita pridem præcesserat. Paulò post horror, unà et rigor insequitur ingens, cui horis duabus ferè elapsis calor febrilis accedit. Is principio mitis. At adeo deinceps intenditur, atque extenditur, ut in progressu intolera-

Quicquid, tertianæ simplici intermittenti medendo, præstare consuevimus, historiâ declaramus.

bilis evadat, neque restinguitur, nisi plurimo priùs egesto sudore, ac uberrimâ urinâ excretâ; quod ad horam ferè a paroxysmi principio duodecimam contingere consueverat. In paroxysmo a primo ad ultimum nauseabundus, plurimùm sitit, ac de dolore capitis permolesto conqueritur. Eâdem fermè horâ, eodem typo, alternis diebus, iisdem symptomatibus febris ita recurrit, ut ex tertiâ invasione eam tertianam fore exquisitam simplicem benignè intermittentem prædicere non dubitaverim, quam propterea non ultra septimum paroxysmum sese producturam fore sperans, operam tantummodo dedi, optimâ victus ratione præscriptâ, ut alvus diebus intermissionis clysteribus elueretur. Atque humores jusculis alteratis cum foliis cichorei, borraginis, atque acetosæ interim præparare studui. At enim verò, quum rem præter opinionem cessisse ex octavi paroxysmi magis recrudescente invasione intellexi, statim Diatartaro P. Cast., quod ad dragmas decem in bolos reformavimus, ante cœnam deglutito, fæcibus ab alvo omnino exclusis, necnon & sanguine ex venâ in brachio solutâ, biduo post, die nimirum intermissionis proximè futurâ, ad libram circiter educto, ad usum kinæ kinæ confugiendum decrevimus, quam Leucippo eâ quâ insequitur A ratione propinavimus. Bolos præfatos quatuor vix vicibus deglutiverat, quum tertiana planè cessaverit. Ne tamen imposterum revixisset ampliùs, Leucippum per alias vices, diebus quindecim circiter interpositis, prædictis bolis, ut identidem ad mensem, & ultra uteretur hortati, effecimus, ut is morem nobis gerendo, eâ, quam præscripsimus, methodo omnino convaluisset.

A ℞. *Cort. kin. kin., rhabarb. elect. ana. scrup. j., sal. tart. gra. vij. m. in pollinem redigantur, & in bol. cum syr. de cichoreo redacta, cap. quotid. statim ante prand., & ante cœnam.* CA-

CAPUT XI.

De Quartanâ simplici benignè intermittente.

Definitio quartanæ simplicis benignè intermittentis.

NOn secus ac quotidiana, item et tertiana, a periodo, quâ febricitantem corripit, quartanæ sibi comparat nomen febris ea intermittens, quæ quartâ quaque die recurrit. Quocirca quartanam simplicem benignè intermittentem describendo, affirmare non erit abs re, *eam esse febrem, planè intermittentem, quæ quartâ quaque die, ab omni procul malignitatis indicio, recurrit, prævio utplurimùm rigore, aliorumque symptomatum concomitante catervâ.*

Diagnosis.

Ideoque a periodo, quam recurrendo in accessionibus servare solet, potissimùm dignoscitur. Quartanarii præterea famelici plerùmque sunt, quinimmo et persæpè *picacei*; id, ni fallor, ob vitiatum stomachi fermentum, quod ventriculi plexus præter naturam mordicando eum elicit pravum ventriculi sensum, quo inducuntur, ut vel congrua, vel etiam quandoque non congrua avidè appetant. Insuper morosi, item et languentes deprehenduntur, ptyalismo frequenter obnoxii. Urinam præter naturam variè alteratam excernunt. Sudores uberrimè, graveolentes, glutinosos, atque acidum utplurimùm spirantes emittunt. &c.

Causa.

Quum paroxysmus de quartâ in quartam diem in hac febre recurrat, inferre non dubitabimus, fermentum febrile, quod quartanam procreat, fovetque, per biduum coerceri, & carcere, ut ita dicam, detentum intus in vasis, sive in glandulis obstructis commorari; in quibus iccirco, diù stagnando, magis magisque corrumpitur, atque impensiùs acescit, quàm in quotidianâ simplici, & in simplici tertianâ. Nil mirum igi-

 tur,

tur, si quartanam utplurimùm comitentur obstructiones viscerum longè contumaciores; eoquòd humores in quartanariis longè acidiores evadant, magis magisque concrescant, fixentur, & stagnent.

Proghosis. Quartana simplex benignè intermittens plerùmque sine periculo exoriri, & perdurare solet, iis præsertim, qui nondum senio confecti plurimùm habent roboris, quo, recurrentibus paroxysmis, diù resistere queant. De genere est chronicorum, atque ad annum, & ultra non semel producitur, tum maximè, quum autumno succendatur. Interdum, ubi contumacissima sit, in hydropem desinit, aut in cachexiam, necnon et in affectiones scorbuticas, & quamsæpissimè in hecticam. Infantibus faciliùs, quàm adultis discutitur. Senibus non expers periculi.

Curatio. Victus, quartanæ curandæ, non absimilis illi, quem reliquis intermittentibus extenuandis hactenus præscripsimus, conveniens est. Vinum in quartanâ, quæ plurimùm sese protraxerit, non omnino ablegandum; quod autem benè diluere, ac temperare juvat aquâ chalybeatâ per extinctionem ferri candentis ad obstructiones reserandas. Purgationes tum emeticas; tum catharticas propter virium imbecillitatem, nisi blandè moveant, planè damnamus, & maximè in morbi processu. Qua de re humoribus pravis discutiendis, egerendisque satiùs ducimus *epicraticè* potiùs incedere rhabarbaratis, aliisque solventibus amaricantibus, quæ humores concretos solvunt, eorumque acorem emendant. In quem finem inter alterantia commendamus quoque decoctiones amaricantes, cichor. ex. gr., centaurii minoris, & reliqua aperientia; quibus quandoque immisceri præsens est remedium emollientia, utì sunt flores, folia, atque radices malvarum, violarum, borraginis, altheæ, graminis, hisque similia. Oleosa tamen,

tamen, pinguia, eaque denique omnia, quæ ventriculi, inteſtinorumque fibras prætermodum relaxare valent, noxam intuliſſe quartanariis ferè ſemper animadvertimus. Fœcibus in organis digeſtionis congeſtis, utì propoſuimus, ante diſcuſſis, atque humoribus probè alteratis, niſi tamen ceſſet febris, eam, ut conſuetis febrifugis planè deleamus, conari debemus.

Hiſtoria X.

Quicquid, quartanæ intermittenti medendo, præſtare conſuevimus, hiſtoriâ declaramus.

MEliboeus villicus, qui ætatis ad annum nondum pervenerat ſexageſimum, corpore ſano, temperamento pituitoſo, frigido nempe, humidoque præditus, æſtivo tempore, menſe videlicet Auguſto ſub canicularis æſtus finem, procul ab omni manifeſtâ occaſione, febre malignâ, utì credebatur, ex coagulo, correptus eſt, quâ diù vexatus, ac penè confectus, die vigeſimâ morbi primâ exactâ, tandem aliquando convaluit; valdè tamen exinde imbecillis, macilentus, ac planè enervis. Menſe Octobri, dum ut famem, quæ tum maximè ſupervenerat acerrima, expleret, opiparè veſcebatur, ex inopinato poſt cœnam decumbens, adeo frigeſcit, ut penè algens nullo pacto, niſi horis tribus elapſis, calefieri potuerit. Frigori calor ſtatim accedit febrilis, qui de gradu in gradum ſubinde ſemper invaluit, uſque dum maximus tandem evaſit. Ab horâ duodecimâ decreſcere cepit, ac uberrimo ſuperveniente urinæ affluxu, quam ſub finem, a principio paroxyſmi, horæ circiter decimæ octavæ excrevit, omnino evanuit. Paroxyſmus eodem fermè principio, eodem incremento, æquè ac decremento, quartâ quaque die, eâdem fermè horâ, iiſdemque ſymptomatibus recurrit, intervallo nimirum quartanario. Hanc itaque quartanam fore præſentiens vel æger, eamque parvì faciens ad plures menſes pla-

planè neglexit. Quinimmo et varios in victu potiſſimùm errores committens, viribus planè deſtitutus, ac macie penè conſumptus, menſe Aprili Anni 1717., ad Noſocomium confugit. Jamdudum erat, ex quo nauſea ſuperveniens, eam edendi maximam ſubſtulerat aviditatem. Alvum interim quotidiè commodè, atque opportunè exinaniebat. Plurimùm ſitiebat. Sudoribus nocturnis, diebus præſertim intermiſſionis, infeſtabatur, iiſque graveolentibus, craſſis, atque acorem inſuper ſpirantibus, quo tempore parcè mingebat. Urinæ tenues ſemper erant, aquoſæ, atque non coctæ, nullum deponentes ſedimentum. Quibus omnibus maturè conſideratis, Melibœum in Noſocomio ægrotantem ita ut in A tractare cepimus. Victu interea temporis utebatur optimi ſucci, concoctu facili, qui tamen tenuis erat, ob eam maximam, quâ tenebatur apepſiâ. Vini loco, eoquòd vinum ipſum ſummoperè faſtidiret, aquam mulſam chalybeatam cum corticibus citri, ac cinnamomo infuſis, non inſuaviter alteratam in uſum quotidianum potabat. Quia autem hujuſmodi curandi methodum parùm proceſſiſſe poſt dies octo cognovimus, præter decoctiones præfatas alterantes, quas in Aurorâ ſumebat, uſum corticis kinæ kinæ eâ, quâ inſequitur ratione B, inſtituimus. Die tertiâ ab uſu febrifugi iſtius quartana omnino intermiſit. Attamen, quoniam languens adhuc erat æger, & ad vires recreandas, & ad cibi, quæ planè defecerat, revocandam cupiditatem, optimam chocolatam in lacte caprino per extinctionem ferri candentis chalybeato ſolutam, atque ſpumantem, diebus ſingulis bis per triduum, loco prandii, & loco cœnæ, ut ſorberet, præcepimus, experientiâ quamſæpiſſimè edocti, ſorbitionem hanc ſolam morborum diuturnitate viribus fractis reſtaurandis, ſpiritibus obrutis excitandis, refocillandiſque, plurimùm profuiſſe. Enim verò illico

ali-

aliquantulùm restitutus, & cibos consuetos appetere, & longè minùs incommodè post cibum requiescere cepit. Quamobrem reliquis omnibus procul amotis medicis præsidiis, ut semel saltem in die jejunis faucibus antelucanis horis, ut obdormire inde commodè potuisset, eandem potionem ex chocolatâ lacte subactâ, exagitatâque sorbendo, intra mensem tantum sibi roboris, omnino convalescens, nactus est, ut dehinc, semper licèt abstemius, nunquam se meliùs habuisse, chocolatæ vel in rebus medicis usui plaudens', decantaret.

A ℞. *Folior. pimpinel., cichor., centaur. minor. ana. pug. iij., salv. fol. iij. aut iv., sem. citr. contus. dragm. j., cinnam. opt. scrup. ss., aq. chalyb. q. s. m. decoqu. S. A. Col., & adde syr. de cichor. cum rhab. unc. j, Cap. quot. in A. per dies xv.*

B ℞. *Cort. kin. kinæ, Rhabarb. elect. ana. scrup. j., sal. tart. scrup. ss. m in tenuiss. pulv. redigant., ac in b. cum theriac., ac conserv. rosar. ana. dragm. ss. S. A. reform., cap. statim ante prandium, & ante cœnam quotidie per dies viij.*

ANIMADVERSIONES AD PATHOLOGIAM, ET THERAPEUTICEN SPECTANTES.

Quid sint febres malignæ intermittentes, & quomodo curandæ.

Non raro contigisse observavimus, & observamus in dies, invasiones febrium intermittentium, quamvis planè intermittant, præseferre tamen, & in vigore præsertim invasionis, nonnulla malignitatis indicia, delirium nempe, soporem quasi lethargicum, convulsiones, non raro petechias, & reliqua, quæ humores omnes, labe quâdam malignâ, sive ex coagulo, sive ex solutione fœdatos commostrare solent. Tum, quamvis, utì diximus, planè intermittat febris, *maligna* nuncupatur *verè intermittens*; quæ profectò, quoniam

niam febrientibus, vel prioribus invasionibus, necem molitur, summoperè periculosa habenda est. Hinc febribus hujusmodi verè intermittentibus malignis, ne dum Romæ, ut ita dicam, consulitur, Saguntum expugnetur, febrifugo confestim occurrendum est. Quemadmodum autem hisce in casibus clinicè incedendum sit, id fusè eâ, quæ insequitur, historiâ exponere aggrediar.

Historia XI.

Quicquid, febri malignæ intermittenti medendo, præstare consuevimus, historiâ declaramus.

ARchillis Mulier, tribus ab illinc annis vidua, annorum quadraginta & ultra, modicæ staturæ, temperamenti calidi, atque humidi, corpore sana, ac fluxibus licèt per pudenda consuetis ad Menses complures planè exhaustis, viribus, æquè ac valetudine ad id temporis optimè constans, mense Novembri ruri febre ex improvisò corripitur, quæ valdè perniciosam vel principio sese manifestavit. Hæc tamen ex intervallo horarum duodecim circiter omnino extinguitur. A primò ad ultimùm paroxysmi arctissimo quodam lethargo veluti consopita spasmodicè identidem convellebatur. Aridæ, atque exsuccæ erant fauces, æquè ac lingua. Intumuerant hypochondria. Partes extremæ penè algentes ad tactum, madore quodam frigido irrorabantur. Horror, quo febris invadere consueverat, brevis erat, & vix sensibilis. Pulsus sanorum similis vel in ipso vigore paroxysmi, item et, quas parcè tamen emittebat, urinæ. Quibus maturè consideratis & antequam alter rediret paroxysmus febrem hanc malignam fore intermittentem conjicientes, clystere ad alvum eluendam priùs immisso, ut satiùs tamen expurgaretur, id solvens A ex oleo amygdalarum dulcium recenti, & sine igne extracto, confestim sumendum confecimus. Cui tum, quum alvum con-

concitare ceperit, largè ex intervallo ſuperbibit juſculum inſulſum cum ſeminibus citri alteratum. Ter itaque, die intermiſſionis primâ, alvo modicè ſolutâ, juſculum ex foliis cichorei, borraginis, ac ſonchi alteratum poſtridie in Aurorâ potandum præbuimus, obſervantes interim, num de tertiâ in tertiam paroxyſmus deinceps reviviſceret; qui profectò, iiſdem ſymptomatibus, eâdem propemodum horâ Archillidem aggreſſus, eam adeo profligavit, ut animam brevì actura quaſi videretur. Quamobrem ſine morâ coxis, cruribuſque inferioribus veſicantia, necnon etiam ſinapiſmata plantis adhibuimus; idque ut a cerebro, item et a præcordiis humor peccans eo, quo valuiſſet, modo, averteretur, qui partibus iis præ cæteris minitabatur. Solvitur paroxyſmus ſudore uberrimo, unà et urinâ copioſè excretis, quæ ſub finem paroxyſmi egeſſit. Paroxyſmo iterum ſoluto, ne tantâ atrocitate deinceps recurreret, vires ejus infringere febrifugis enitebamur, quæ ſtatim ita ut in B præſcripſimus. Præterea, quia ſanguine plurimo ſcatere, ex indiciis inferre rationi conſonum videbatur, eòque magis, quia excretionibus menſtrualibus, utì diximus, planè carebat, venas ex pudendis ſolvendas hirudinibus judicavimus; ex quibus die intermiſſionis ſecundâ, libra circiter ſanguinis, ut lethargus præcipuè, quo in acceſſionibus arctiſſimè detineri conſueverat, diſcuteretur, datâ operâ effecimus, ut guttatim deflueret. Rediit paroxyſmus tertius, & longè minor, item et quartus, qui et adhuc longè mitior exarſit. Mox Archillis eâ a primo ad ultimum ſervatâ methodo optimè convaluit. Enervis tamen, ac viribus ad menſem planè integrum deſtituta.

A ℞. *Tart. bonon. dragm. ij., ſenæ orient. mund. unc. ſs., aq. comm. q. ſ. m. ſ. inf. S. A. Col., & adde Mell. hiſpan. opt. unc. ij, olei amygd. dulc. rec.*

& f. igne extrac. unc. iv. cap. ut m.

B ℞. *Cort. Kin. Kin., rad. contrayer. ana. ſcrup. j. m. in pulv. redig., ac in b. cum conf. hyacint. alb. reform. cap. quot. b. m. quibus ſuperbib. ſemper juſculum alteratum cum radicibus ſcorzoneræ, contrayervæ, cum foliis card. benedict., ſonchi, ac pimpinellæ.*

ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES, ET PRÆSERTIM RATIONE PHARMACIÆ.

Quicquid adnotare debemus in cortice peruviano præſcribendo.

PErquampauca ſanè ex promptuariis Medicis nobis extant præſidia, quæ in cæteris morbis profligandis eam vim exerceant, quam in reſolvendis febribus ſaltem quibuſdam corticem Kinæ Kinæ ſpecificè exercuiſſe jamdudum obſervavimus. In quo autem præfati corticis facultas febrifuga ſita ſit, nondum exploratum habemus; & amaritiem intenſiſſimam, unà et auſteritatem quandam ſapori licèt præſeferat, an tamen refrigeret, an calefaciat, an ſolvat, an coagulet, an fundat, an præcipitet, an alios denique in corpore humano vitam habente abditos occultè præſtet effectus, planè hactenus ignoramus. Id tantummodo ex obſervationibus, & noſtris, & aliorum practicè accepimus, corticis abuſum viſcerum quandoque obſtructiones contumaciſſimas, profundos abſceſſus, menſium in fœminis ſuppreſſiones, hæmorrhoidum in maribus frequentiſſimè peperiſſe. Quocirca id præcisè adnotare expedit, ne corporibus prætermodum impuris, aut fluxibus ejuſmodi depurantibus, vel præſentibus, vel imminentibus, modò fieri poſſit, propinetur. *Modò fieri*, inquam, *poſſit*; intermittentibus quippe malignis, penitus quamvis intermittant, niſi febrifugis quamociſſimè occurramus, prioribus invaſionibus æger omnino perfractus utplurimùm ſuccumbit. Mo-

Modus, quo cortex is præſcribitur, varius eſt, (Formulæ, quibus cortex præfatus peruvianus præſcribi ſolet.) betur enim in ſubſtantiâ,& vires ejus eliciuntur quoque infundendo,decoquendo, macerando,necnon etiam condiendo. Antiquiſſimum fuit, corticem Kinæ Kinæ, hac, quæ inſequitur, formulâ A parare, & propinare. Dehinc in intermittentibus maximè continuis loco vini aquis deſtillatis, ſive ſcorzoneræ, ſive cardui benedict., ſive rutæ caprar., hiſque ſimilibus uti conſueverunt alii. Poſthac tincturam ex cortice præfato elicere præſertim aggreſſi ſunt Galli in vino eodem per digeſtionem in B. M., eâ, quâ inſequitur lege B. Nos autem in vino niſi in corporibus quibuſdam cachecticis, vel in quartanis diuturnioribus id febrifugum nunquam propinare conſuevimus; eoquòd longè meliùs in reliquis febribus reſtinguendis per alia menſtrua potiùs, quàm per vinum, vires ſuas exerere experientia nos certiores fecerit; a quâ præterea didicimus,ſi per vices ſubinde in parvâ doſi exhibeatur, validiùs, ac tutiùs egiſſe, quin ſymptomata vel minimùm exaſperet in paroxyſmo. Methodum iccirco, quâ corticis Kinæ Kinæ præſcribendæ utimur, ſequens C propemodum eſſe ſolet. Hujuſmodi formula ſimpliciſſima eſt, eâque optimo ſemper cum ſucceſſu uſi ſumus, tum in tertianis ſimplicibus, tum in quotidianis, tum in tertianis duplicibus, ſive intermittentibus, ſive continuis, dummodo ſint benignæ. In quartanis verò, & præſertim tum quum quartanarius viſceribus obſtructis ad cachexiam vergat, febrifugum ex cortice Kinæ Kinæ hac aliâ ratione D parare conveniens eſt. Ubi intermittens malignitatis notas præſetulerit, tum cortici Kin.kin., radicem contrayervæ hoc pacto E aſſociavimus. In caſu malignitatis, bolis præfatis addere ſolet quiſpiam guttas aliquot olei ſcorpionum Matthioli; quod licèt non improbemus, ambigere tamen adhuc poſſumus, obſervationibus innixi, num

 per

per id unicè ad labem malignam eluendam, utì opinantur, validiùs agat cortex. Quia verò non ſemel contingit, ut præfatos bolos deglutire nequeat æger, tum corticis, aliarumque rerum cum cortice præſcribendarum, tincturam aquis deſtillatis ita ut in F propemodum elicere conſuevimus. De cortice præfato, hæc præ cæteris, ut ante jam diximus, adnotare fas eſt, primò incaſſum ut plurimùm adhiberi, niſi acceſſiones cum aliquo ſaltem rigore invadant. Secundò, experientia nos docuiſſe, magis prodeſſe corticem multò ante paroxyſmum, quàm vel in ipſo paroxyſmo, vel principio paroxyſmi propinare. Tertiò, quum non omnino febrem uſu corticis extinguatur, toties repetendum fore, quoties intermittens reviviſcat. Quartò, niſi quid malignitatis redoleat paroxyſmus, tutiùs ſemper poſt ſeptimam acceſſionem, alvò purgatâ priùs, atque humoribus digeſtis, propinari. Quintò, in formâ ſolidâ deglutitum, in pulverem redactum nimirum, atque in ſtomacho cum alimentis immixtum, digeſtumque, longè validiùs agere. Perpauca hæc propemodum ſunt, quæ de cortice peruviano in Praxi medicâ nos hactenus obſervavimus, quæque Tyronibus perpendenda candidè, ac ingenuè propoſuimus; ne tam egregium, ac penè dicam unicum, certum ſedandis, reſolvendis, extenuandiſque febribus ſpecificum ab exteris Regionibus non ita pridem nobis invectum, quod rerum Parens, provida Natura, ideſt Supremus ille Mundi conditor, adverſæ valetudini reparandæ, tantâ mortalibus benignitate præbuit, ne, inquam, in eorum, præpoſterè adhibitum, convertant potiùs perniciem.

Quicquid de cortice hoc febrifugo paucis innuimus, & de conis quoque cupreſſinis dictum volumus, quos eâdem fermè in febribus curandis vi pollere jamdiu comperimus; de quibus iccirco in Tractatu de Febribus verna-

vernaculo idiomate superioribus annis edito prolixiùs sermonem instituimus.

A ℞. *Cort. kin. kin. in pulv. redac. dragm. ij., vin. opt. lib. circit. ſs m. f. inf. per horas xij. circiter pro unâ vice tantùm paroxysmi principio propinanda.*

B. ℞. *Cort. kin. kin. unc. ſs., vin. opt. lib. ij., m. f. inf. per B. M. ad horas* 48. *circiter, sumenda quater in die quotidiè per congrua intervalla ad quantitatem unciarum trium circiter vicibus singulis.*

C ℞. *Cort. kin. kin. in pulv. redact. scrup. j., syr. idonei, viol. viol. videlicet, vel de cichor., de capill. vener. q. s. m. ref. b. quem cap. quotidie, sive h. m. cum jusculis alteratis, sive proximè ante prandium, & ante cœnam ad dies tres, aut quatuor, & ultra.*

D ℞. *Cort. kin. kin., rhab. elect. ana. scrup. j., sal. tart. scrup. ſs. m., in pulver. redig., & cum syr. de cichor. in b. reform. cap. ut supra.*

E ℞. *Cort. kin. kin., rad. contrayer. ana. scrup. j. m. in pulv. redig., & cum confectione sive hyacinth., sive alker., sive cum theriac., mitridat. &c. prout virulentiæ malignæ qualitas exegerit in b. ref. cap. ut supra.*

F ℞. *Cort. kin. kin., rad. contrayer. ana. unc. ſs. aq. Card. B. lib. iv. m. f. inf. & macer. S. A. cin. cal., sive B. M. sumenda per vices, ter, aut quater die quotidiè ad uncias tres, aut quatuor circiter.*

ALIÆ ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES, ET PRÆSERTIM AD PHARMACIAM.

Contrayerva, cujus historiam inter cæteros accepimus a Bahuino, Schrodero, necnon et postremò, quantùm scio, ab Ettmullero, cyperi species videtur. Ejus nobis radices aliquot abhinc annis ex Provinciâ

Quid præstare valeat in Praxi medicâ usus radicis contrayervæ;

vinciâ Peruvanâ invectæ sunt. Acre quoddam impensè aromaticum sapiunt; hinc, eoquòd calefacere debeant, vim iis alexipharmacam, videlicet contra venenum, passim adscribunt. De hac radice id quanquam affirmare nequeam, quod de cortice Kinæ kinæ ante jam affirmavi, non inficior tamen, blandè solvere posse, alimentorum coctiones adjuvare, excretiones tum diaphoreticas, tum diureticas placidè promovere, vermes, sive lumbricos intus ingenitos, aut pellere, aut enecare &c., utì præcitati Scriptores testantur.

ALIÆ ANIMADVERSIONES AD THERAPEUTICEN SPECTANTES, ET PRÆSERTIM AD PHARMACIAM.

Quicquid judicandum sit de usu olei in morbis curandis.

NIl planè temporibus nostris in Re medicâ frequentiùs, nil usitatiùs, quàm olei amygdalarum dulcium recèns & sine igne extracti, ac per os, ad labem, in morbis plerisque, qualemcunque eluendam propinati, nescio an dicam usum, an potiùs abusum. Oleum præfatum opportunè, ac debitè præscriptum, haustumque in torminibus præsertim, convulsionibus, atque irritationibus universis, in nephritide potissimùm ex calculo, pectorisque inflammationibus plurimùm procul dubio profuisse inficias ire haud possumus. Attamen quotidie observavimus quoque, atque observamus in dies, eos, qui Medicis quibusdam ad excessum, ut ita dicam, oleaceis, sese tractandos fidenter commiserunt, si quando evaserint, observavimus, inquam, viribus eos adeo exinde destitutos, atque tanto ciborum fastidio correptos, ut longo tempore imbecilles, & nauseabundos, per ejusmodi tam oleosam, tam lubricam, tamque incertam medendi methodum, longè magis quàm per morbi perniciem confractos extitisse. Enim verò nos

nos edocet experientia; oleum, utpote quod vi polleat emolliendi, relaxandi, retundendique, ventriculi, æquè ac inteſtinorum facultatem, item et fermentorum robur adeo enervare, ut maxima deinceps ſubſequatur apepſia, imbecillitas, aliaque perplura incommoda; quæ nonniſi vel in corporibus ipſis cæteroquin vegetioribus, diuturnitate temporis evincuntur. Hinc, niſi contraindicatum ſit, plurimùm ſanè confert oleo per os in ægritudinibus, quibus convenit, propinando immiſceri priùs dragmas aliquot, necnon etiam unciam unam aquæ cinnamomi, quâ volatilius factum, longè minùs organa lædat. Quicquid de oleo amygdalarum dulcium innuimus, dicendum quoque autumamus de oleo olivarum communi, de oleo ſeminum melonum, & præ cæteris de oleo ſeminum lini; quod quamvis aliquando viſcerum inflammationibus diſcutiendis opportunum eſſe poſſit remedium, utì docet Ettmullerus, aliique, plurimis tamen tantam quandoque noxam intuliſſe reſcivimus, ut valdè ambigamus, an in morbis edomandis eam exerceat, quam ei paſſim adſcribunt, facultatem.

Res eſt admodum incerta, an oleum acidum reverà ſit.

Quiſquis autem, inter medica præſidia, oleum ſive ex oleis, ſive ex ſeminibus præfatis expreſſum, elicitumque damnare, atque omnino proſcribere aggreditur, ob eum humoribus noſtris infenſiſſimum acorem, quo ſcatere ſibi ſuadet, ut ad id, quod mox dicturi ſumus, animum quæsò, ac mentem adhibeat, hunc rogamus. Rerum acidarum uſus diutinus nos abundè monet, acidum nequicquam humani corporis viventis œconomiæ adeo eſſe inimicum, ut eo, non modò proſperæ valetudini conſervandæ, verùm etiam & adverſæ reparandæ, pluribus ſaltem in caſibus uti commodè non debeamus; quando & ad famem, diù conſopitam, excitandam, & ad ventriculi cruditates extenuandas, & ad ſanguinis

æſtus

æſtus nimios temperandos, & ad bilem prætermodum exaltatam coercendam, rebus acidis haud incaſſum quotidie veſcimur. Præterea, oleum acorem habere, eoquòd erodat, atque in rubiginem convertat metalla, res plurimùm eſt incerta; aqua ſiquidem communis crocum ex ferro, necnon et ex ipſo chalybe, ad Solem præſertim incaleſcente, quamcitiſſimè educit; & nihilominus quis aquam communem proinde intrinſecè acidam cenſere, ejuſque acorem valde noxium jure criminari poterit? Aqua item et oleum, acida tametſi non ſint, ut fermentationem tamen in mixtis inducant, eorumque ſolvant compagem, ac ferruginem eliciant, abundè eſt, ut in minima ſpiracula ſive in minimos mixti meatus ita ſeſe immittant, ut ab iis materiam excludant duntaxat craſſiorem primi generis; quemadmodum & in diſſertationibus noſtris de Fermentatione, & in Tractatu de Motu, & in capitibus quoque præcedentibus, ante jam fusè expoſuimus. Quia verò eundem propemodum effectum oleum præſtare poſſet, ratione ſubſtantiæ bulbi oculorum exterioris, tum quum evenit, ut guttula aliqua ejuſdem olei, quantumvis minima, fortuitò ſeſe intus in palpebras ingerat, nil mirum ſi æther ille tenuiſſimus, qui per meatus oleo obſtructos celerrimè movetur, exagitaturque; nil mirum, inquam, ſi membranas acriter incendat, & lacrymas exprimat, acoris quamvis expers omnino eſſet oleum, quod bulbo inhæſit.

CAPUT XIII.

De Febribus continuis intermittentibus, & de Intermittentibus compoſitis.

Deſcriptio febrium intermittentium compoſitarum, & continuarum intermittentium.

UBi contingit, ut febris, nequaquam licèt intermittat, per paroxyſmos tamen periodicè exacerbetur

betur manifeſtos, qui ex intervallo recurrant, ſive in dies ſingulos, ſive aut tertiâ, aut quartâ quaque die &c. tum vocatur vel continua intermittens, vel continua periodica; & ubi recurrat ſine periodo, nuncupatur febris continua erraticè intermittens. Quum quotidiè exacerbatur, dicitur quotidiana continua. Quum alternis diebus, vocatur tertiana continua. Quum quartâ quaque die, dicitur quartana continua &c. Non raró quoque evenit, ut febris reverà intermittat, recurrens autem per paroxyſmos, aut duplicatos, aut etiam triplicatos, &c., vel uno eodemque die, vel alternis &c. Hinc altera conſurgit intermittentium ſpecies, quæ dicuntur verè intermittentes compoſitæ, quotidiana nimirum duplex, triplex. Tertiana duplex, triplex, & ſic de cæteris; de quibus tamen id potiſſimùm animadvertendum eſt, paroxyſmos in tertianâ duplici, duplicique quartanâ &c. uno eodemque die ſingulos quandoque recurrere, quandoque diebus diverſis. In tertianâ ex. gr. duplici intermittente, interdum uno eodemque die ingeminantur paroxyſmi, temporibus autem diverſis. Interdum alternantur ita, ut ſine paroxyſmo nullus habeatur dies. Quo in caſu, ſi paroxyſmi alternis adeo producantur, ut præcedens nequaquam remittat omnino, priùsquàm alter, qui inſequitur, recurrat, tum ſpecies exardebit febrium continuarum intermittentium, quæ dicuntur, ſive quotidianæ, ſive tertianæ intermittentes per *ſubintrantiam*, aut per *ſubingreſſum* continuæ. Hæc autem omnia, quum ſatis ſuperque ex iis, quæ ante jam diximus, innoteſcant, non eſt cur ulteriùs urgeamus, febres ſingulas, ſive continuas intermittentes, ſive intermittentes compoſitas definitionibus peculiaribus ſingillatim, ac fusè deſcribendo.

Signa itidem, quorum ope febres ejuſmodi dignoſci queunt, ex præallatâ febrium deſcriptione, ac divi- Diagnoſis.

 ſione

sione perquàm facilè erit elicere. Id tantùm in tertianâ præsertim duplici adnotandum superest, ne eam cum quotidianâ simplici intermittente confundamus, tum præcipuè, quum paroxismi tertianæ duplicis, diebus alternis sese alternantes, quotidianâ invasione, quotidianam simplicem mentiri solent: adnotandum, inquam, superest, num paroxysmi, qui singulo quoque die revertuntur, eâdem horâ, iisdemque symptomatibus revertantur, num e converso. In primo casu pro quotidianâ simplici continuâ intermittente habetur. In secundo pro tertianâ duplici intermittente, perinde ac si duabus tertianis simplicibus componeretur, quarum accessiones per vices alternentur, de tertiâ in tertiam alternatim sibi respondentes. Altera utplurimùm, diebus nimirum alternis, major esse solet. Altera, diebus nimirum intermediis, solet esse minor.

Causa. Si quis ea, quæ de febribus continuis simplicibus, æquè ac de simplicibus intermittentibus innuimus, accuratè perquirat; ex facili enucleabit, quare quandoque fiant continuæ periodicæ, æquè ac intermittentes compositæ &c.

Prognosis. Intermittentes compositæ, quæ penitus intermiserint, longè minùs habent periculi. Inter acutas, quinimo et inter peracutas eas connumerare debemus, tum maximè, quum sibi conjunctam labem malignam habeant. Febres continuæ intermittentes, quamvis continuæ sint ex subingressu, non semel adeò sunt funestæ, ut febricitantem quomocissimè interimant.

Curatio. In curatione id præ cæteris præstandum, ut una saltem citius, quàm fieri possit, ex pluribus componentibus, febris evincatur; unâ quippe deletâ, longè faciliùs altera dabit manus, & cedet. Alvo igitur purgatâ, ac humoribus probè præparatis, febrifuga quamprimùm adhibenda sunt, præsertim si paroxysmus vel

le-

leviſſimo cum frigore, aut rigore inceperit.

Hiſtoria XII.

Quicquid, hemitritæo medendo, præſtare conſuevimus, hiſtoriâ declaramus.

AScanius adoleſcens, qui vigeſimum primum nondum compleverat annum, corpore gracili, temperamento calido, & ſicco, vel bilioſo præditus, optimè valens, & organis benè inſtructus, Menſe Januario ludens, atque in paleſtrâ ſeſe vehementer exercens plurimùm incaluit, inſudavitque. Ita ſudans in contentione refrixit. Inde febricitavit. Febris erat continua; at quotidie cum rigore ita exacerbabatur, ut rigor, item et calor febrilis alternis diebus longè magis intenderetur, quam diebus intermediis. Eadem quoque ratio reliquorum erat ſymptomatum, ſitis potiſſimùm, capitiſque doloris, quæ diebus majoris afflictionis vehementiùs ſanè ægrotantem torquere conſueverant: diebus videlicet alternis, in quibus longè major morbi deprehendebatur exacerbatio. Æſtus inſuper febriles diebus præfatis nonnulla præſeferebant malignitatis indicia. Pulſus quippe parvus erat, compreſſus, & valdè inæqualis. Urina perexigua, ac tenuis. Fauces aridæ. Nigricabat lingua. Delirabat æger, atque anxius de ſummâ virium proſtratione conquerebatur, ob ſoporem quendam præterea continuum, dies, noctesque pervigilem valdè ſollicitus. Alvus tamen rectè reſpondebat. Neque fœces a ſtatu naturali recedebant. In vigore acceſſionis uberrimè ſudat, quod autem ibi præſertim contingit, ubi minùs affligitur. Dies eſt morbi tertia, ex quo Aſcanium ita ægrotantem obſervabamus, cui nihil aliud eatenus adhibuimus, niſi potiones uberrimas, item et clyſteres; qui quamvis ſimpliciſſimi, alvum nihilominus ſatis commodè cientes, ſordes uberrimas quotidiè educebant. Ut victus in-

interim perquamtenuis esset, refrigerans, atque humectans, utque a vino prorsus abstineret, curavimus. At horis medicis emulsionem hanc A frigidam potandam ei præscripsimus. At enim verò quum præsidia ista parùm processerint, febrem hanc intermittentem, valde perniciosam fore tertianam duplicem, ex subingressu continuam, satis superque nobis innotuit. Quocirca Ascanio propinare statim cepimus bolos febrifugos hac lege B confectos. Per triduum præfatos vix is deglutiverat bolos, quum ex eâ tertianâ duplici per subingressum continuâ, sive planè malignâ, sive saltem pessimi moris, nullâ, præter sudorem consuetum, apparente crisi manifestâ, prorsus evaserit.

A ℞. *Sem. melon. unc. j., pap. alb. dragm. ij., aq. sonch., scorzoner., card. ben. ana. unc. iij. m., f. emul. S. A. Alteretur levi infusione corticum citri, & adde Juleb., rad. contrayer. S. A. parat. unc. ʃs. cap., ut m.*

B ℞. *Cort. kin. kin., rad. contrayer., ocular. cancror. ana. scrup. j. m., in pulv. redig., & cum confect. hyacint., atque alkerm. æquali portione in bolos reformat. cap. bis quotidie, videlicet statim ante prandium, & ante cœnam.*

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ UNIVERSALES.

Variæ febrium species, quæ nomina sua a symptomatibus utplurimùm sortitæ sunt.

EOs equidem scimus, qui verba, quàm res pluris facere consueverunt, præter eas, quas jam ante descripsimus, alias etiam pene innumeras febrium species in medium protulisse, ratione præsertim eorum, quæ inferre solent symptomata. Qua de re alias dixerunt *morbillares* esse, alias *scarlattinas*, *petechiales* alias, alias *colliquativas*, *helodes* alias, alias *assodes*, *castrenses* alias, *syn-*

ſyncopales, *humorales*, *epialas*, *lypirias*, *horrificas*, *hemitritæas*, *ſiticuloſas*, *famelicas*, *cardiacas*, *torminales*, *præfocantes*, *anheloſas*, *aſthmaticas*, *tuſſiculoſas*, *arthriticas*, *inſanas*, *emeticas*, *diureticas*, *diaphoreticas*, *catharticas &c.*, quarum tamen omnium, tum quum ex dictis, tum ex infra dicendis perfectiſſimam ſibi cognitionem haurire, ac comparare quiſque poſſit, non videtur cur ad nauſeam prolixiorem ſingularum tradamus hiſtoriam. Id tantùm propterea paucis hìc adnotare ſufficiat: primùm *hemitritæos* dici, ſive *hemitritæum* a nonnullis, febrem quandam compoſitam continuam malignam, ac putridam, cui accedit prætereа tertiana verè intermittens; ſive febrem tertianam continuam, cui aſſociatur quotidiana verè intermittens: ſecundò *lypiriam*, vel *lypirias*, ſive propriè *leipyrias*, dici, quam nonnulli confundunt cum epialâ, febrem quandam continuam valdè malignam, cum inflammatione viſcerum eriſipelaceâ, in quâ interiora veluti uruntur, uno eodemque tempore, quo frigent exteriora, & præſertim extrema. Febrem hanc porrò utplurimùm lethalem, eam quamvis nequaquam neque Sylvius, neque Dolæus ſeſe obſervaſſe affirment, nos porrò Romæ, in Noſocomiis præſertim, quibus præſumus, præ cæteris in Gente Hiſpanâ, non ſemel obſervavimus. De reliquis Lexicographos conſulito.

ALIÆ ANIMADVERSIONES AD PATHOLOGIAM SPECTANTES.

Febres inſuper, non ſecus ac alii plerique morbi, modò dicuntur *endemicæ*, ſive *endemiæ*, quum peculiares, item et communes in aliquâ tantùm Regione ſint, ob aeris patritii inclementiam, ſive ob alimentorum pravitatem &c., quæ iccirco nuncupantur quoque *ver-*

Aliæ Febrium ſpecies, quæ diſtinguuntur ob rationem, quâ invadunt.

vernaculæ, sive *gentilitiæ*, a nonnullis itém et *castrenses*, ubi potissimùm per militum castra evagentur. Modò dicuntur *epidemicæ*, sive *epidemiæ*, quum non alicui tantùm Regioni, neque peculiares, neque communes sint, neque per eandem semper effundantur, quinimmo quum modò per hanc, modò per illam ob aeris malignam infectionem, non innatam, sed contractam suscitentur. Modò dicuntur *sporadicæ*, quum videlicet omni tempore, omnique loco exoriri possint, & seorsim quenquam invadere procul ab omni contagii suspicione. Ab endemiis iccirco differunt, atque ab epidemiis, eoquòd sporadicæ febres multos uno, eodemque tempore, variis tamen in locis, quin tamen ex contagio communicentur, sparsim corripiant. Morborum istorum, qui sporadici vocantur, luculentissimam inter Veteres a Galeno habemus descriptionem, penes quem tamen, & quidem in latiori sensu, id nominis usurpatur: *Morbi diversi non ejusdem generis, alii aliis contingentes*.

CAPUT XIV.

De Morbis, qui propriè respiciunt motum sanguinis progressionis, item et fluiditatis, ac primò de Polypo.

In quo sensu polypi vox hic accipiatur.

DE febribus, quæ sunt affectiones quædam universales, quæ sanguinis motum fermentationis propriè respiciunt, hactenus egimus. De Polypo igitur, item et de cordis palpitatione, animique deliquio, de syncope, necnon etiam de lipothymiâ, quæ sunt affectiones, quæ ad motum unicè sanguinis progressionis partim, partim ad motum, qui in eodem sanguine fluiditatis dicitur, pertinere videntur, reliquum est, ut deinceps agamus. Polypus, vox scilicet in Praxi medicâ admodum

dum ambigua, ad denotandas varias humani corporis passim usurpatur affectiones. Quandoquidem productionem, sive excessum modò quendam morbosum designare solet mollem, carnosum, qui ex naribus producitur ad chirurgos propriè spectantem, cujus mentionem facit vel Hippocrates. Modò autem significat corpus quoddam variæ molis, variæque figuræ album ut plurimùm, quandoque licet livescens, ac molle, quod in finibus præsertim cordis concrescit, ac in ramos divisum, distractumque sese per vasa sanguifera immittit. De tali polypo loquuti sunt Recentiores complures, inter quos Marcellus Malpighius. De eo unicè impræsentiarum nos quoque acturi, brevì recensebimus quid sit, unde oriatur, quid præstet, & an curationem admittere queat ullam. Polypus dicitur a figurâ exteriori, quâ polypum piscem, animal videlicet marinum de sepiarum genere, molle, exsangue, pluribus veluti pedibus non æquè productis instructum æmulari solet. Polypi piscis historiam præ cæteris profusam inter Italos Scriptores exaravit Aldovrandus. Nihil aliud est polypus, de quo hìc agimus, quàm *materia quædam fibrosa, in massam concreta, variæ, utì diximus, molis, ac variæ figuræ, coloris plerùmque cinerei, sive livescentis, consistentiæ, modò magis, modò minùs validæ, quæ utplurimùm in finibus cordis concrescit, ut inde producatur, & dirimatur in ramos plures effusus, quibus immittitur in vasa sanguifera*. Hinc liberum, atque expeditum sanguinis motum per meatus sanguiferos progressionis præcludens, plurimùm variat corporis humani viventis œconomiam animalem, ac varia iccirco inducit pessima symptomata, eòusque dum necem tandem inferat. Polyporum substantia alba, utì diximus, est utplurimùm, livescens, lurida, nec non etiam subflava, quandoque quasi tendinea, quandoque membranacea,

Definitio polypi.

quæ

quæ profectò nihil aliud esse videtur, quàm materia quædam sanguinis chylosa, albuginea, sive pultacea in substantiam mollem, solidamque congesta.

Diagnosis. An polypus adsit cordi intus inhærens, dignoscitur potissimùm a qualitate pulsus pravâ, item et a respiratione difficili. Pulsus intermittens, quinimmo et intercurrens in cordi hærente polypo affectis esse solet, valde inæqualis, qui maximam præterea in qualitatibus universis præsefert inæqualitatem. Respiratio difficilis esse debet, quum pulmones, retardato sanguinis, per meatus polypo obstructos, motu progressionis, liberè nec explicantur, nec contrahuntur. Accedunt præterea syncopes frequentes, creberrimæ cordis nonrarò palpitationes, virium imbecillitas, atque uno ut omnia verbo complectar, quicquid denique præter naturam exoriri valet, tum, quum liberè moveri nequeat sanguis per meatus suos præcipuos, quà in gyrum movetur a corde ad pulmones, a pulmonibus ad cor. Nil mirum itaque, si symptomata præfata universa eò magis infesta evadunt, quò organa in motu validiùs exercentur.

Causa. Polyporum causa sita esse videtur in coagulo quodam sanguinis, cujus causâ lympha, sive pituita quædam, aut succus ipse chylosus, qui cæteroquin in alimoniam sanguinis digeri, atque extenuari deberet, a reliquo secedit sanguine, concrescens eò usque dum in materiam polyposam inspissetur, quæ tum in finibus, tum in meatibus, ductibusque sanguiferis per appositionem extrinsecam alterius materiæ ejusdem generis, majus semper in dies incrementum suscipit, in ramos se se profundens, per venas longè faciliùs, quàm per arterias, in quibus motui libero sanguinis circulari, utì supra innuimus, obices nectit &c.

Prognosis. Polypi hujusmodi interiores, qui non semel vel in reni-

renibus, aliisque corporis humani recessibus quoque deprehenduntur, insolubiles planè ab omnibus haberi solent, neque injuriâ, eorum quippe substantia extracta, infusa, & diu menstruis, licèt validioribus, macerata, solvi reverà nequaquam hactenus potuit. Ex quo, quàm ridiculum sapiat, educitur quicquid de arcano quodam temporibus quidem nostris jactitare quispiam consuevit, proclamans oleo lini jejunis faucibus immisso, polypos cordis se felicissimè fudisse, eosque in urinam solutos, egestosque vidisse.

Quum itaque polypus in corde solvi nequeat, ut minùs saltem, quantùm fieri possit, lædat, & minùs augeatur, curandum est. Victus propterea tenuis, humectans, qui facilè digeratur, eligendus est. Plurimùm officiunt alimenta crassiora, acida, glutinosa, pultacea, quæ facilè concrescunt; itidem ea omnia, quæ vim habent calefaciendi, quæque fermentationem sanguinis provocant; ideoque a vino prorsus abstinendum. Alvus lubrica servetur, clysteribus tamen potiùs, quàm potionibus purgantibus. Oleum amygdalarum dulcium, & seminum melonum, recèns verò; & sine igne extractum, cochleatim in usum lambentis, ex intervallo deglutitum apprimè confert, item et spermaceti, syrupus violatus violaceus, de pomis, de althea Fernelii &c.; quæ in os immissa, tracheam licèt minimè subeant, emolliunt tamen membranas, æquè ac musculos finitimos, atque adeo respirationem quodammodo, ut ipsa quotidie docet experientia, necnon et lymphæ concretæ per glandulas excretionem adjuvant. Motus nimius, membrorum nimia, ac concitata exercitatio, vehemens organorum nisus, lucubrationes diutinæ, animi solicitudines, planè fugienda. Quum autem necessitas, symptomatibus ingravescentibus, urgeat, sanguis imminuendus est; in quo tamen cautè semper incedendum; Curatio.

quorum quippe cordi polypus inhæret, ad cachochymiam pituitosam, sive phlegmaticam, quinimmo et ad cachexiam proni declinare solent, quam crebra plerùmque promovet venæ sectio.

Historia XIII.

Quicquid, polypo medendo præstare conuevimus, historiâ declaramus.

Moecenas vir nobilis, facultatibus, æquè ac moribus perquàm insignis, qui ætatis septuagesimum secundum nondum expleverat annum, proceræ staturæ, pinguis, cæteroquin optimè constitutus, temperamento sanguineo præditus, calido videlicet, humidoque, lacertosus, ac vegetus, nullum propemodum in victu ordinem servans, nisi quod opiparè quotidiè vescebatur. Præter artes, quæ nobilem virum decent, quibus egregiè exercendis ab ineunte ætate vacaverat, venatoriis exercitationibus vel senex addictus, cæli inclementiam, tum æstivam, tum hyemalem, tum nocturnam, tum diurnam æquè semper pati solitus, eam tamen flocci faciens, doloribus licèt ob calculos nephriticis, podagræ, aliisque pluribus incommodis multo ab illinc tempore, ex fistulâ præsertim in ano, identidem obnoxius, mense Aprili Anno Domini 1719. difficultate spirandi ex improvisò laborare cepit, quæ difficultas longè magis ei molesta erat, quum per acclivia iter facere contenderet; quo tempore, ubi conatus enixè magis intenderet, viribus planè collapsis, invasionibus vertiginosis, cum animi deliquio, infestabatur. Non febricitabat, pulsus quamvis variè intermitteret. Cæterum de more appetebat, prætermodum non sitiebat, atque in reliquis benè utplurimùm se habebat. Ad annos duos circiter in hoc rerum statu versabatur, quum mense demum Junio anni 1722., tussi vehementissimâ per noctem concussus, ac præcordiorum angustiâ pressus,

pressus, & longè magis, quàm consueverat, exagitatus, materiam tandem purulentam per os tussiendo excreare cepit; quæ omnia pulmones vomicâ affectos esse satis superque commonstrabant. Quicquid hisce in casibus clinicè præstari solet, opportunè adhibitum fuit. Attamen incassum, quum, symptomatibus semper in dies adhuc magis invalescentibus, nobilis Mœcenas, licèt neque rigor, neque calor ullus sensibilis veram febrem indicans unquam sese manifestasset, mentis semper compos, animo præsenti, in omnibus constans, quin vel brevi admodum tempore animam agendo cum morte colluctatus, expirans, consopitus potiùs, quàm extinctus, placidissimè decessit. Secto cadavere, substantiam pneumonicam pluribus in locis suppuratam, ac in auriculâ cordis dexterâ binos polypos magnæ molis invenimus, qui bulbis suis per minimas radices fibris auriculæ interioribus inhærebant, ac truncis pluribus perquàm longissimis in ramos effusis per venam cavam sese immittebant; quam ita occupaverant, ut sanguini refluo plurimùm resistentes, ea omnia quæ præcesserant, effecerant incommoda. Effecerant insuper, ut humores in pulmonibus stagnando temporis processu corrupti, atque in tuberculos congesti, vomicas induxissent. Pluribus ab illinc mensibus præfatorum symptomatum indolem, naturam, ac pervicaciam sedulò inquirentes, a polypo cordis exoriri procul dubio suspicabamur. Qua de re affectionem planè insanabilem futuram fore prædicentes, eam saltem moderari optimâ victus ratione curabamus. At enim verò diuturna incommoda jam pertæsus Mœcenas, iis demum, qui empiricè imponunt, auscultare decrevit, se propediem a morbo evasurum spe fraudolenter illectus. Ex quo factum fuisse opinor, ut abusu potiùs, quâm usu medicamentorum longè citiùs, quàm morbi natura exegisset, efferreretur.

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quare polypo affecti, quum in motu sese validiùs exercent, lipothymiæ obnoxii sunt.

POlypo affecti, utplurimùm quamvis febricitent, nihilominus calor febrilis raro admodum in iis percipitur. Polypi cordis utplurimùm bulbosi sunt, bulbisque suis, sinibus insunt cordis, pluribus minimis radicibus, lacertis implicati. At in ramos veluti plurimos effusi, sanguiferorum subeunt meatus, ad extremos usque quandoque capillares. Quamobrem, quum per nisus membrorum sanguis in gyrum longè validiùs impellitur, fit plerumque, ut sanguinis motu circulari ferè omnino intercepto, succedat lipothymia, item et syncope.

Falsum est, polypos in corde post mortem semper concretos fuisse, ut affirmat Kerkringius.

Longè majores, ac frequentiores in auriculis deprehenduntur polypi, quàm in ventriculis, atque ab auriculis in venas potiùs, quàm a ventriculis in arterias immittuntur. Hinc sanguis propulsus a ventriculis in arterias, quum liberè ab arteriis remeare nequeat in venas, atque a venis in ventriculos, quodammodo retrocedit in arterias, impetum ex adversò facit in valvulas, & pulsus intermittentes, intercurrentes, ac maximè inæquales producit, palpitationem quandoque cordis, virium imbecillitatem &c. Idque succedere semper debet, utì monuimus, præcipuè in validâ membrorum contentione. Hæc omnia si quis accuratè perpendat, eoquòd in viventibus passim obversentur, redarguere nonnullos poterit, inter quos Kerkringium, perperam sibi suadentes, polypos cordis post mortem duntaxat produci ob sanguinem, sive potiùs ob lympham quandam in meatibus sanguiferis post obitum stagnantem, atque concretam. Ideo in venis faciliùs, quàm in arteriis polypos concretos observamus, quia sanguis venosus crassior longè, quàm arteriosus, faciliùs in venis

nis ſtagnat; eoque faciliùs, quia niſus, ſive conatus, quo venæ ſanguinem exprimunt versùs auriculas, niſi nullus ſit, ſaltem longè minor eſſe debet, quàm niſus, & conatus, quo per arterias in venas propellitur.

CAPUT XV.

De Palpitatione Cordis.

Cordis palpitatio dicitur *motus quidam cordis convulſivus, valde quandoque ſenſibilis, ac permoleſtus, quo cor præter naturam in ſyſtole contractum, atque in diaſtole viciſſim explicatum, motum ſanguinis conſuetum per meatus ſanguiferos progreſſionis turbat; atque adeo vel proximè, vel remotè facultates organorum univerſas quodammodo lædit.* Definitio.

Cordis palpitatio vel ſenſibus dignoſcitur; in eâ quippe & ipſæ arteriæ palpitantes, ſubſaltationes ſuas & oculis quamſæpiſſimè obiiciunt, in collo præſertim, temporibuſque. In carpo longè crebriùs conſueto micare ſolent motu quodam validiori, eoque inæquali, quo nullum ordinem ſervantes, variis, ac inæqualibus cordis ſubſaltationibus æquè reſpondent. Diagnoſis.

Palpitatio cordis, quum in affectione quadam ſpaſmodicâ conſiſtat, quâ fibræ cordis motrices irritantur, eam, & *idiopathicè*, ſive *per eſſentiam*, & *ſympathicè*, ſive *per conſenſum* fieri poſſe arbitramur. Idiopathicè fit, quum humor peccans proximè cordis afficit ſubſtantiam, quæ pluribus ſanè de cauſis proximè affici poteſt; ſiquidem, aut ſerum, quod in pericardio colligitur, aut ſucci, quibus cor intimè irrigatur nutritionis gratiâ, aut ſanguis, qui in ſinibus fervet, acris quandoque factus, fibras præfatas mordicando ſpaſmodicè convellit &c. Fit ſympathicè ex conſenſu cæterarum partium, Cauſa.

quæ

quæ nervos ſuſcipiunt a truncis, ſive a plexibus cum corde communibus; quibus etſi reliquis in partibus irritatis, cor quoque ex conſortio irritetur neceſſe eſt. Non negamus autem cordis palpitationem interdum quoque ſuſcitari vel ob maximam ſanguinis efferveſcentis vim cor extendentem, vel vitio itidem aut cerebri organico, aut ſpirituum animalium, ſuccique nervei, qui a cerebro per nervos in cordis fibras immittuntur.

Prognoſis. Ratione partis affectæ, cordis palpitatio plurimum ſemper habet periculi; enim verò ſyncopen, catarrhum ſuffocantem, cæterarumque partium convulſiones nonnunquam facit. Quinimmo quoties præter naturam palpitat cor, toties repentinæ mortis imminet periculum. Quæ ſympathicè excitatur, longè mitior eſſe ſolet, quàm quæ idiopathicè. In fœminis, quàm in maribus faciliùs evincitur. Si a polypo, vel ab aneuryſmate producatur omnem prorſus reſpuit curationem.

Curatio. Ut medicis præſidiis cordi palpitanti opportunè occurramus, diſtinguendum eſt, num per eſſentiam, num per conſenſum palpitet, utraque quamvis palpitatio eadem ferè requirat remedia; nam ea, quæ diluunt, atque emolliunt, quæque nimiam fluidorum acrimoniam, ſive temperant, ſive obtundunt, ſive alio quovis modo compeſcunt, ea, inquam, omnia motibus convulſivis ſiſtendis mirificè conducunt; nihilominus, quum fiat ex conſenſu aliarum partium, iis, quæ primariò afficiuntur, proximè mederi oportet. In genere tamen, ſordibus ex alvo blandè diſcuſſis, potiones refrigerantes, boloſas, alkaliſatas, balinea aquæ dulcis, item et decoctiones emollientes commendamus. Si ſanguis redundet, aut ſi nimis efferveſcat, ſi palpitatio excretiones aut menſtruales, aut hæmorrhoidales, aut ex naribus inſequatur, vena ſtatim ſolvenda eſt. Si ulcere in cruribus præſertim vetuſto, aut exiccato, aut con-

glu-

glutinato, aut ſi, cicatricem poſtquam duxerit, ſupervenerit, fonticulum aperire in loco idoneo præſens non ſemel fuit remedium. Si per conſenſum fiat, in pueris præſertim a lumbricis plexus nervoſos, aut ventriculi, aut inteſtinorum mordicantibus, ea propinanda veniunt, quæ lumbricis enecandis inſerviunt; quæque, quum de iis fusè impoſterum pro verminationis curatione acturi plura ſcribere debeamus, planè hìc omittere placet.

Hiſtoria XIV.

Quicquid, cordis palpitationi medendo, præſtare conſuevimus, hiſtoriâ declaramus.

PHyllis optimæ indolis Puella, annum ætatis agens vigeſimum circiter quartum, optimè conſtituta, temperamento ſanguineo prædita, & quaſi plethorica, tribus ab illinc circiter annis, cœlibatus amantiſſima, æquo, lubentique animo Superis in ædibus ſacris ſe dicaverat. Vitam hilarem, pacatamque in cœnobio, ſanctè, piè, ac caſtè ducens, menſe Majo, quum relaxandi animi causâ ſubdio in hortis domeſticis incedens ſpatiaretur, tonitruum fragore repèns exterrita, penè ac ſi de cælo tacta fuiſſet, viribus omnino collapſis, ſqualens illico corruit. Accurrunt omnes, accerſitur et Medicus, qui Phyllidem, ad horam quaſi ſemianimem, inclamans, vix obtinuit, ut graves oculos conata attolleret. Pulſum interim explorans, arteriam valde contractam, eamque variè micantem, & crebrò intermittentem percepit. Hinc venâ ſtatim in brachio ſectâ, ut ad libram uſque boni ponderis profflueret ſanguis, ſivit. Craſſus, ſeri propemodum expers, in grumos concretos, quinimmo et ſuperficietenùs admodum fungoſus erat. Quapropter oleo amygd. dulc. rec., & ſ. ign. extract. cum ſperm. cet., ac ſanguine hircino, cum aquâ cinnamomi, ac camphorâ ad eam, quæ inſequitur doſin, propinato, ſaphena ex pede ſiniſtro paulò poſt ſolu-

ſoluta eſt, ut altera ſanguinis quantitas ad libram circiter ex partibus quoque infernis educeretur. Ut primùm ex pede ſanguis proſilire, item et pulſus ſenſim ſeſe explicare cepit, & vires adeo reſtaurari, ut Phyllidi ſtare deinceps, atque incedere liberè datum eſſet. Verumtamen menſibus inde planè ſuppreſſis, cor ei præter naturam, non ſine maximâ animi anguſtiâ, ad annum, & ultra palpitavit. Ex quâ palpitatione nonniſi uſu diutino aquæ dulcis, quam corpore priùs, ut inſequitur, purgato, alteratoque ad dies plures perbibiſſet, atque in balneis ſibi adhibuiſſet, immunis unquam omnino evadere potuit.

Doſes, formulæ, & methodus, quibus a primo ad ultimum infirmitatis præfatam virginem in Cœnobio Deo ſacram tractare conſuevimus, ea fuerunt, quæ inſequuntur. Sanguine, utì diximus, ex brachio, vigente paroxyſmo, priùs emiſſo, ſolvens hujuſmodi A illico ſumendum, humoribus in vaſis concretis ſolvendis, extenuandiſque, experientiâ teſte, valdè idoneum præſcripſimus. Poſtmodum quotidie ad dies quindecim bolis hiſce B cum oleo amygd. dulc. recent., & jure alterato ex floribus rhœados uſa eſt. Impoſterum autem, eoquòd ſemper in dies præter cordis palpitationem, quæ nihilominus, utì ceperat, proſequerentur, res in meliùs proceſſiſſent, ab omni artis præſidio ad menſem & ultra abſtinuimus, eò uſque dum menſes conſuetos neutiquam profluxiſſe obſervantes, ſaphenâ iterum, atque iterum ſectâ, reſectâque, eos interioribus, atque exterioribus, rhabarbaratis præcipuè, item et chalybeatis adhibitis, necnon etiam cucurbitulis partibus infernis appoſitis, frictionibus, item et pediluviis præſcriptis, eatenus tamen incaſſum, revocare curavimus. Quapropter menſe Majo ſequentis anni eam denuo ita ut in C tractare cepimus. Victu interim utebatur te-

nui

nui, optimi ſucci, concoctuque facili. Vini loco aquam per extinctionem ferri candentis chalybeatam hauriendam præſcripſimus. Id per dies quadraginta; quibus exactis, ad dies quindecim aquam quotidie nucerianam jejunis faucibus hauſit ad lib. vj. circiter, cui præmittere diebus ſingulis conſuevit aliquot cochlearia prædicti mellis hiſpani, quamque decumbens in cubiculo per urinam feliciſſimè ſemper excrevit. Inde per alios dies quindecim & chocolatâ in Aurorâ, & balneis aquæ fluviatilis horâ circiter ante prandium, uſa eſt; quibus planè confectis, palpitatio intermittere cepit, donec tandem aliquando fluxibus per pudenda ad annum ferè ſuppreſſis redeuntibus, omnino ceſſavit.

A ℞. *Sperm. cet., ſang. hircin. ana. dragm. j., camph. gra. v., aq. cinnam. unc. j., ol. amygd. dulc. rec., & ſ. ig. extract. unc. iv., ſyr. flor. rhœad. unc. j. m., & cap. in jure ſtatim*. Id poſtridie tantùm alvum blandè concitavit.

B ℞. *Sperm. cet., ſang. hirc. ana. dragm. j., camph. gra. iij., ſyr. viol. viol. q. ſ. m., f. b., & cap. in Aurorâ jejunò, ut monitum, ſuperbibendo juſculum prædictum alteratum*.

C ℞. *Rhabarb. elect. ſcrup. j., croc. Mart., ror. majal., ſive aquâ pluviatil. ad Solem æſtivum, utì docet Ettmullerus, parati ſcrup. ſs., ſal. tart. gra. vij., mell. hiſpan. q. ſ. m., ref. b., & cap. quotid. in Aur., cui ſuperb. ſer. caprill. hac lege alteratum*.

℞. *Flor. borrag., folior. pimpinell., capill. vener. ana. pug. iij., ſer. caprill. lib. j. m., f. lev. infuſ., & macer. S. A. colet., & adde cryſtall. montis præp. dragm. j., mell. hiſpan. opt. unc. ij. cap., ut m., quo blandè alvus ex intervallo ſolvebatur*.

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Quid sit in Veterum sententiâ morbus idiopathicus, & sympathicus.

Affectiones, quibus, ratione corporis humani vitam habentis, sumus obnoxii, aliæ exoriri dicuntur per *essentiam*, aliæ per *consensum*. Per essentiam exoriuntur, quum humor peccans, sive causa morbi efficiens proximè agit in parte affectâ, ut ex. gr. in *pleuritide*, in quâ sanguis, aliique, qui stagnant humores, & præter naturam effervescunt, *pleuram* proximè afficiunt, in quâ reverà stagnant, & præter naturam fermentantur. Tum propriè affectiones hujusmodi dicuntur *Idiopathicæ*. Per consensum fiunt, ubi aliqua pars corporis humani viventis ex consortio, ut ita dicam, afficitur ab alterâ parte proximè affectâ; ut quum caput dolet vitio materiæ cujusdam pravæ, crudæ, sive non coctæ in ventriculi cavo congestæ, quæ, & ventriculum pergravat, & plexus ejusdem lacessit; quâ iccirco ex ventriculo sublatâ, egestâ, vel extenuatâ, aut aliâ quavis ratione resolutâ, illico cessat cephalalgia, idest dolor, capitis ex consensu productus. Tum ea cephalalgia nuncupatur *sympathica*. In quo tamen id præsertim adnotandum, partem ipsam sympathicè affectam, principio quamvis ex consensu verè afficiatur, affici nihilominus adeo posse, ut vel ipsa tandem intimè lædatur, ac pravam inde eam contractam retineat impressionem, quam diu conservare poterit, humor licèt peccans ab alterâ parte sublatus fuerit, quæ idiopathicè priùs afficiebatur. Quo in casu affectio ex sympathicâ, idiopathica fit, diciturque *deuteropathica*, non secus ac ante appellari propriè potuisset *protopathica*, idest deuteropathicam præcedens. Morbus sympathicus ex Galenicis inducitur: vel ob *viciniam*, ut quum manus ex brachio patitur affecto: vel ob *generis societatem*, ut quum nér-

nervus ex alio, qui læditur, nervo: vel ob *muneris communionem*, ut quum vesica urinaria ex renibus laborantibus: vel ob *situm*, ut quum ex capite affecto cætera langueant membra, quæ sub capite sita sunt: vel ob *connexionem*, ut quum cerebrum læditur ex nervorum læsione; cor ex læsione sanguiferorum &c. At enim verò futilis fermè, ac commentitia penè videtur præfata Veterum distinctio; quum partes universæ corporis humani viventis, quæ sympathicè afficiuntur, non aliâ affici possunt ratione, nisi quòd nervos ab iisdem truncis, sive plexibus communibus suscipiant; ideoque non aliâ de causâ compati posse autumabimus, nisi per *connexionem*, ubi morbus verè sympathicus sit, & pars affecta ex consensu *positivè* compatiatur. Dicimus *positivè*, eoquòd affirment Veteres, morbos sympathicos exoriri, aut *positivè*, aut *privativè*. Positivè, ut quum vapores a stomacho, ex eorum sententiâ, superiora conscendunt cerebrum turbantes. Privativè, ut quum ex præpedito spirituum animalium affluxu in pede ob validam ex. gr. nervorum compressionem in partibus supernis, deletur in eodem pede, aut sensus, aut motus, aut uterque.

CAPUT XVI.

De Animi deliquio, Eclysi, Lipothymiâ, Syncope & asphixiâ.

ANimi deliquium nihil aliud est, præterquàm *subitus, & præceps virium lapsus, spirituum animalium influxu intercepto, vitio potissimùm, uti creditur, cordis, quod, sive proximè, sive remotè in animi deliquio afficitur*. Ratione majoris, aut minoris intensionis dividitur in *eclysin*, *lipothymiam*, *syncopen*, & *asphy-* Definitio animi deliquii.

 phy-

Eclysis. *phyxiam*. Eclysis, sive virium languor dicitur, quum animi deliquium est in gradu, ut ita dicam, primo, in quo *virium lapsus pertenuis est*. Lypothymia vocatur, quum ad secundum intenditur gradum, in quo *virium lapsus major est, neque vires ita facilè, ut in primo, restaurantur*. Appellatur syncope, quum ad tertium perducitur gradum, *in quo virium lapsus* major adhuc, *quàm in secundo evadit*; quinimmo in hoc tertio gradu non procul quandoque distat ab interitu, diciturque syncope, idest *naturæ solutio*. A nonnullis etiam asphyxia, ubi tamen pulsus diù intermittens nequaquam percipiatur.

Lipothymia. Syncope.

Diagnosis. Signa, quæ futurum, assuetis præsertim, animi deliquium fore indicare solent, anxietas sunt repentina, animi, nullâ datâ extrinsecùs occasione, perturbatio, gravedo, vertigo, colorum variæ præ oculis obversantes species, respiratio ex improviso præclusa, sive saltem difficilis, color faciei, item et pulsus, qui confestim immutetur, & reliqua, quæ paulò post insequitur animi deliquium. Præsens autem esse dignoscitur, ubi vultus squalens pallore suffunditur, atque extremis frigefactis, ubi sudor frigidus appareat; quæ quandoque, eò deveniunt, ut, qui animo delinquit, viribus planè solutis, per gradus sensim deficiat, ac veluti semianimis paulatim corruat, pulsu, colore, sensibusque internis, æquè quam externis planè destitutus.

Causa. Pluribus de causis corpus humanum vivens, utpote quod vitam organicam, unà et animalem vivat, animi deliquio languere potest. Ea tamen potissima videtur, quum, aliquâ sive intus, sive foris datâ occasione, mutuus præcluditur in corde contractionis, atque expansionis motus, quo alternatim sibi respondent systolæ, & diastolæ ventriculorum, & auricularum. Quamobrem, turbato exinde sanguinis per meatus sanguiferos motu

motu progressionis, ac propterea per nervos spirituum animalium affluxu intercepto, quo fibras musculorum motrices contrahunt, nil mirum, si viribus collapsis concidat animus, & corporis humani machina, quum diutiùs stare nequeat, sensim resoluta, sese destituat, corruatque.

Quum animi deliquium, ut in definitione monuimus, nisi proximè, remotè saltem cor lædat, neutiquam sine periculo habendum. Quò fortiùs, eò pejùs. Melancholicis, atque hystericis, frequentiùs quamvis, non raro tamen lethale. *Qui frequenter, ac fortiter absque causâ manifestâ deficiunt animo, de repente moriuntur* ex Hippocrate (a). Id in Phthisi præsertim, ac Tabe planè confectis, contigisse observavimus, item et tremoribus, & convulsionibus supervenientibus. Contra equidem, qui vel propter odores, vel ex phlebotomiâ, sive stomacho malè affecto resolvuntur, citra periculum eclysin non modò, verùm etiam lipothymiam, & syncopen perferre solent. Prognosis.

Animi deliquium rarò admodum affectio videtur, quæ primariò afficiat; quinimmo reliquas affectiones humani corporis viventis, veluti symptoma utplurimùm insequitur. Quocirca, qui idoneis præsidiis animi deliquio occurrere velit, plurimùm sanè expedit, ut in affectiones primarias, unde originem ducit, mentis aciem priùs intendat. Nihilominus ea omnia in paroxysmo adhibere convenit, quæ roborandi, refocillandi spiritus animales, æquè ac vitales revocandi, excitandique vim habent, volatiliora videlicet, ac balsamina; quæ, vel naribus admota, vel faucibus instillata, vel extrinsecùs, regioni potissimùm cordis, aut inunctionibus, aut fotibus apposita, plurimùm contulisse semper nos docuit experientia. Hujusmodi sunt vinum generosum, acetum Curatio.

(a) *Sect. 2. aphor.* 41.

tum rosaceum, spiritus vini, aqua Reginæ Hungariæ, aqua cinnamomi, melissæ, elixir proprietatis Helmontii, quinta essentia rorismarini, theriaca sive aceto, sive vino soluta &c., & ubi necessitas urgeat, fortioribus quoque uti juvabit, spiritibus nimirum cornu cervi, salis ammoniaci, fuliginis &c. Apprimè in eundem finem conducunt defricationes quoque, vellicationes, inclamationes. Partes præcipuè extremas defricare, ac vellicare, necnon etiam aquâ frigidâ partes externas inspergere præsentaneum remedium est, quo spiritus a cerebro per nervos ad universas partes revocentur. In plethoricis venæ sectio neutiquam omittenda, iis quippe animi deliquium, quum aut impensè, aut crebrò recurrat, repentinum ex tubulis fractis interitum moliri solet.

CAPUT XVII.

De Aneurysmate.

Definitio Aneurysmatis.

ANeurysmatis, & *varicis* nomine binæ in Medicinâ exprimuntur affectiones, quæ, quum arteriarum, venarumque parietes lædant, inter morbos organicos connumerari merentur; atque adeo tum maximè, quum sensibus in partibus extimis corporis humani vitam habentis obversentur, ad Chirurgos potiùs, quàm ad Medicos spectare videntur. Nihilosecius, intus quoniam persæpè delitescunt, & varias humoribus pravas inferunt alterationes, de iis quoque in hoc libro paucis saltem agendum ducimus; quoniam, quum arterias, & venas, uti diximus, afficiant, & cor ipsum quodammodo proximè afficere debent; quum cor, utì in præcedentibus exposuimus, per arterias, & venas ad reliquas partes humani corporis universas dirimatur, atque effundatur,

tur. Aneurysma, idem utique denotat, ac *arteriæ dilatatio*, quæ propterea, sive intus, sive foris læsa, in tumorem attollitur, qui motum habet pulsatilem systoles, & diastoles. Longè meliorem, quàm Galenus de aneurysmate descriptionem tradidit Barbete, nihil aliud esse affirmans, quàm *tumorem præter naturam continuò pulsantem, digitis facilè quandoque cedentem, atque iterum illico sese extendentem, ab arteriarum interioris tunicæ rupturâ, atque exterioris dilatatione*. Enim verò in aneurysmate pars primariò affectæ sunt arteriarum parietes, pluribus, utì diximus, tunicis compacti; quarum interior nervosa, si quâ de causâ recidatur, efficit, ut exteriores, ut ita dicam, resolutæ sanguini impetum intus facienti cedant, explicentur, atque in tumorem prolatentur. De hujusmodi duntaxat aneurysmate, quod a causâ producitur internâ, ab humoribus nimirum pravis, hoc capite tractare aggredimur, reliqua aneurysmata, quæ a contusione fiunt extrinsecâ, a puncturâ &c. in chirurgiâ, si datum erit, expositurі.

Aneurysmata, quoniam arterias in partibus afficiunt interioribus quandoque, quandoque exterioribus, distingui possunt, ratione sensuum nostrorum, in *apparentia*, & in *occulta*. Apparentia sunt, quæ sensibus, aut in ipsis tegumentis, aut a tegumentis non procul, obversantur. Ut occulta haberi possunt ea, quæ, quoniam in recessibus, sive in cavis, aliisque partibus abditis conduntur corporis humani, nonnisi conjecturâ attingimus. Apparentium indicia duo sunt potissima. Tumor mollis, laxus, ac plerùmque cedens, qui propterea, si comprimas, non ita reluctatur, ut compressus mox inde non resiliat. Pulsatio, quæ in aneurysmate in systolen, ac diastolen, non secus ac in carpo alternatur. Dicimus, *tumor utplurimùm cedens*; siquidem non raró factum fuisse vidimus, processu temporis, aneurysmate Diagnosis.

rysmate nimirum confirmato, inveteratoque, ob cartilaginem quandam interiorem præter naturam crassam, quâ veluti validiori folliculo intùs sub arteriæ parietibus circundatur, & quasi obducitur aneurysma: factum fuisse, inquam, vidimus, ut *in aneurysmate* tumor prætermodum ita consurrexerit, atque obduruerit, ut non modò digitis palpantibus valde restiterit, verùm etiam, ut vix ullum pulsationis indicium sensibus præbuerit. Quum autem aneurysma excitetur incisione exteriori, sive ubi parietes vel intus læsi, vel erosi in arteriâ omnino dehiscant, ita ut sanguis effundatur, tum cutis utplurimùm livore quodam suffunditur exteriori. Occultum, quoniam symptomata producit valde ambigua, non ita ex facili dignoscitur.

Causa. Aneurysma, de quo hìc agimus, quod, ex definitione prællatâ, fit, recisâ, sive potiùs lacerâ, atque exæsâ arteriarum tunicâ interiori, non raro provenit ob acrimoniam sive seri, sive lymphæ stagnantis, quæ eam tandem exædit, eroditque.

Prognosis. Aneurysma, nonnisi operatione chirurgicâ curari potest, quæ pluribus de causis semper erit suspecta, ac periculi plena. Quò extenditur minùs aneurysma, & quò exteriùs magis situm est, eò faciliùs curatur. Contra maximam si habeat molem, si profundè delitescat, curationem non modò admittere nequeit nullam, verùm etiam et mortem propediem, eamque non semel repentinam inducit. Nonrarò, tunicis planè discissis, sponte, ut ita dicam, suâ, aperitur. Inde hæmorrhagia plerumque lethalis. De aneurysmate exteriori, cum quo diu superstites vivere quandoque possumus, id tamen adnotandum venit, emortuis partibus finitimis, denegato fluidorum motu, gangrænam facere. In curatione aneurysmatis, quod, ut innuimus, propemodum insanabile habetur, id tantùm præstare possumus, ne citiùs quàm

quàm deberet, vel immaturè exaſperetur, & quamociſſimè necem inferat. Victus propterea tenuis ſit, humectans, diluens, concoctu facilis, qui ſanguinis copiam neque augere, neque inflammare valeat. Ideoque a vino prorſus abſtinendum. Ubi ſanguinis quantitas redundet, imminuenda. Motus, membrorumque exercitatio, ſive contentio lenis ſit; validior ſiquidem per ſe ipſam aneuryſma interdum procreavit. Pars affecta inſtitis blandè comprimatur. *Blandè* dicimus; quandoquidem compreſſio valida gangrænam nonnunquam fecit. Aneuryſma, quod artus lædit in partibus præſertim extremis, tum maximè, quum perquamincommodum ſit, requirit, ut pars affecta recidatur, quo partis ignobilioris jacturâ, reliquæ longè nobiliores conſerventur.

CAPUT XVIII.

De Varice.

Definitio Varicis.

VArix optimè deſcribitur, *tumorem eſſe præter naturam mollem, inæqualem, nodoſum, non pulſantem, indolentem utplurimùm, qui conſurgit ex diſtenſione venarum nimiâ, ob ſanguinem concretum, glutinoſum, & craſſum ibi collectum.*

Diagnoſis.

Varices plerùnque intumeſcunt ex cute ad regionem ventris imi anteriorem, ſub umbilico, in ſcroto, circa teſtes, atque in cruribus, necnon etiam in ano, quæ, quum extrinſecùs obverſentur, facilè dignoſcuntur. Tumores quippe ſunt nodoſi, molles, utì diximus, ferè ſemper indolentes, liveſcenteſque. Liveſcunt plerùnque varices ob ſanguinem concretum, atque, ut ita dicam, *vappeſcentem*, qui ſtagnando, & præſertim propè valvulas, venarum parietes extendit, eoſque longè tenuiores, & quaſi pellucidos facit.

Cauſa.

Ex eâdem varicum deſcriptione, item et cauſam

elicere possumus, unde varices consurgant; sanguis enim in venis, & non procul a valvulis præcipuè concrescens, eas ideo in tumores explicat, atque in nodos extollit, quia motui alterius restui sanguinis libero resistit; qui propterea ibi quodammodo subsistens varices procreare valet; in cruribus sanè potiùs, quoniam crura & magis distant a corde, quod sanguinem impellit; & per cruralia ligamenta, quibus caligas, ne laxè subsideant, circumligamus, arctiùs constringere solemus.

Prognosis. Varices periculo prorsus quamvis utplurimùm vacent, non est tamen, quod pluribus fermè de causis mortem aliquando accersire nequeant. Interdum enim aperiuntur, & inde ob hæmorrhagiam funestam vita deletur. Interdum parietes venosi ob varices adeo explicantur, ut partes finitimas, adjacentesque comprimendo, vel potiùs validè compressis, sive glandulis, sive tubulis minimis, quibus parietes ipsi extensi contexuntur, efficiunt, ut inflammatio succendatur; quam in abscessus non rarò cessisse, in ulcus sordidum, in gangrænam &c. edocuit experientia. *Insanientibus si varices, vel hæmorrhoides supervenerint, insaniæ solutio*, ex Hippocrate (a). Varices, quæ gestationis tempore fiunt, sponte, post partum, ut ita dicam, suâ, lochiorum repurgamentis egestis, evanescere consueverunt.

Curatio. Varicibus discutiendis, extenuandisque, ea omnia conveniunt, quæ sanguinem in vasis concretum blandè resolvunt; quod si neccessitas urgeat, tum exterioribus, tum interioribus tentare expedit. Ratione exteriorum, ut quicquid venas varicosas extra varices comprimere valet, quomocissimè amoveatur, opera danda est. Fovenda insuper est pars affecta fotibus aquæ tepentis, & præsertim chalybeatæ, quæ humores concretos discutit, & membranas relaxatas roborat, iisque tonum

(a) *Sect. 6. aphoris. 21.*

tonum restituit. Ex interioribus apprimè conferunt diluentia, alkalisata. Vini abusum, crassi præcipui, acidique, ac fœculenti plurimam semper varicibus noxam intulisse cognovimus. Varices ferro secare, res est periculi plena.

Historia XV.

SErgius Sacerdos annorum trigintaquinque circiter, temperamento calido, & sicco, bilioso nimirum, præditus, habitu gracili, variis ex intervallo ægritudinibus obnoxius, postquam iter vere quotannis piè peregrinando susceptum confecisset, varia peregrè passus incommoda, pleuritide tentatur. Pleuritis, die septimâ exactâ, uberrimo profuso sudore, planè discutitur. Non multùm post dolorem quendam pulsantem in latere thoracis sinistro anteriori, infra mammas, a scrobiculo cordis non procul persentire cepit. Dolor in dies paulatim subinde major fit semper, atque in regione doloris, diebus aliquot exactis, pars tandem intumuit. Tumor mollis est, atque undosus. Compressus deprimitur. At digitis amotis comprimentibus, sese attollens, denuò statim consurgit. Pulsat eodem fermè typo, quo in carpo, ad latera gulæ, atque in temporibus pulsant arteriæ. Tum maximè, quum per acclivia properat incessum, præcluditur respiratio; quinimmo et ubi magis adhuc properet, delinquit animo. In hoc rerum statu anxius ad operam confugit medicam Sergius, qui præterea de virium conqueritur imbecillitate extremâ, ac de summâ identidem præcordiorum angustiâ. Mensis quintus erat, ex quo pleuritide solutâ, ob tumorem deinceps hujusmodi in thorace pulsantem, ita, utì innuimus, ægrotare ceperat, quem procul dubio aneurysmaticum esse conjecimus. Et quia magnæ molis erat tumor, profundus, atque in arteriâ thoracis non procul

Quicquid aneurysmati medendo præstare consuevimus historiâ, declaramus.

 a corde,

a corde, inveteratus, cum symptomatibus vehementioribus, de ejus sanatione omnino desperantes, nihil aliud sanè præstitimus, præterquam operam dare, ut, optimâ in omnibus vivendi ratione servatâ, ad sanguinis missionem ex intervallo confugeret, ut sanguine opportunè imminuto, arteriarum parietes longè minùs impellerentur. Nihilosecius mense Februario 1698. Perusiæ, ubi hyems eo anno maximè nivosus fuit, rupto intus tumore, repentè suffocatus, expiravit.

ANIMADVERSIONES PATHOLOGICÆ.

Trifariam morbi distribuuntur, in humorales, organicos, & mixtos.

CAusa efficiens, quæ affectiones corporis humani viventis procreat, aut proximè lædit humores, qui per organa ejusdem corporis effunduntur, aut proximè lædit partes solidas, quibus organa constantur, aut, quod utplurimùm contingere solet, proximè lædit humores, simul et organa. In primo casu affectio, quæ producitur, vulgò dicitur *humoralis*, sive *universalis*. In secundo dicitur *organica*, *topica*, sive *particularis*. In tertio dicitur *mixta*, siquidem utriusque particeps est. Neque desunt, qui inter Veteres bifariam iterum distinxerint affectiones humorales, in eas nempe, quæ *humores contentos* afficiunt, uti sanguinem; & quæ humores afficiunt *impetum facientes*, uti spiritus. Id profectò ad mentem Hippocratis, penes quem partes universæ corporis organici vitam habentis distribuuntur in *continentes*, *contentas*, atque *impetum facientes*. Continentes appellare consuevit partes omnes solidas viventes, quæ actionibus exercendis inserviunt. Contentas vocat humores universos, præter spiritus, qui fluorem licèt, & motum potius maximum, ut ita dicam, intestinum habeant, nihilominus ab humoribus eos secrevit, atque ob eam maximam, quâ pollent vi, partes impetum facientes nuncupavit.

FINIS.

INDEX RERUM, ET VERBORUM.

A

Ato-

Ma-

Pan-

In

Ure-

FINIS LIBRI PRIMI.